
HIERONYMUS
ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

DE

PETRI RAMI

VITA, SCRIPTIS, PHILOSOPHIA.

PARISIIS. — EX TYPIS E. THUNOT ET Ce.
28, via dicta Racine.

DE

PETRI RAMI

VITA, SCRIPTIS, PHILOSOPHIA.

SCRIPSIT

C. WADDINGTON-KASTUS,

PHILOSOPHIÆ PROFESSOR,

IN PARISIENSI LITERARUM FACULTATE AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS.

Waddington, Charles Tzaunt

PARISIIS,

APUD JOUBERT, BIBLIOPOLAM,

VIA DICTA DES GRÈS, 14.

—

1848

CLARISSIMO

VIRO ET PHILOSOPHO

V. COUSIN.

CLARISSIMO

VIRO ET PHILOSOPHO

V. COUSIN.

INDEX.

DE

PETRI RAMI

VITA, SCRIPTIS, PHILOSOPHIA.

Cogitanti mihi de infelici Petri Rami fato, admirantique inter nos tanti viri memoriam indigne abolitam fuisse, clarissimus nostræ ætatis philosophus auctor fuit ut hasce tentarem vindicias (1). Scilicet Petri Rami vitam, a multis olim scriptoribus illustratam, hic denuo, quantum in me erit, enarrare; ejusdem scripta omnia ex ordine ad suum quæque tempus referre, et quæcumque ipse cum in universa philosophia, tum in arte dialectica tentaverit, attingere in animo habeo : majorem forsan quam pro

(1) V. Cousin, *Vanini, ses écrits, sa vie et sa mort* (*Revue des Deux-Mondes*, 1 dec. 1843), p. 4 : « Il serait utile et patriotique de disputer à l'oubli et de recueillir pieusement les noms et les écrits de ces hommes ingénieux et hardis qui remplissent l'intervalle de Gerson à Descartes. Du moins il en est un que l'histoire n'a pu oublier; je veux dire Pierre de la Ramée. Quelle vie et surtout quelle fin!. . Depuis, on n'a pas daigné lui élever le plus humble monument qui conservât sa mémoire; il n'a pas eu l'honneur d'un éloge public, et ses ouvrages même n'ont pas été recueillis. »

viribus meis laborem suscepturus, minorem vero quam pro mea in tantum virum pietate.

Ramus enim, postquam unus in nostra Gallia et pene solus ante Cartesium liberam cogitandi rationem profiteri ausus fuisset, socraticamque illam humanitatem in liberalibus artibus constanter expostulare, imo scriptis adumbrare et lectionibus, Socratis partes, scilicet honestissimi viri crudelissimum exitium sibi assumpsit, nobisque sua morte libertatem, quantum in ipso erat, vindicavit. Quam quidem eximiam cum Socrate cognationem ipse agnovit. Nam cum studiosus ille veritatis amator, nulla unquam periculi specie deterritus, pro vero liberalium artium usu animose fortiterque pugnavisset, dixit aliquando, laborum memor et quasi præsagus mortis : « *Socratis præter cicutam nihil nobis admodum abfuit* (1). » Ne cicuta quidem misero abfuit, qui malorum hominum invidia oppressus, crudeles tanti erga veritatem amoris pœnas dederit ! Incredibile autem est quæ et quanta maximus ille Cartesii prænuntius ad mortem usque passus fuerit, præsertim cum pro recta Gallicæ juventutis institutione, cui se totum dedisset, philosophicis armis dimicaret. Hunc autem pro mea virili parte meritis ornavisse laudibus, si non omnino officii, at certe grati fuerit animi. Quum enim tam longa

(1) Procem. Mathematic., lib. III init. « Hanc socraticam philosophiam cum e Platone et Xenophonte didicissem, et in Academiam Parisiensem induxissem, Socratis miseriam et calamitatem mirabilem mihi conciliavi, judiciis omnibus pro impudente et ignaro calumniatore, pro impio etiam damnatus (religionis enim fundamentum nonnulli tum in scholasticis sophismatibus collocarant), scribere quicquam aut loqui publice privatimque prohibitus. Id fuit manus et linguam velut amputare. Denique Socratis præter, etc. »

tamque immerita oblivione oppressa fuerit ejusdem illius viri memoria, qui labore, ut ita dicam, Herculeo in Augiæ sophisticis stabulis purgandis triginta et amplius consumpsit annos; operæ pretium est professoris eximii laudes suscipere ante Parisiensem illam Academiam, quam ipse, dum viveret, ingenio ac vigiliis illustrare ante omnia in animo habuerit.

PARS PRIOR.

PETRI RAMI VITA.

Petrus Ramus (1), vernacule *Pierre de la Ramée* (2), apud Cuthum (3) agri Veromandui vicum natus est, patre quidem agricola, sed stirpe nobili, quæ genus suum ex Eburonibus repetebat (4). « Avus certe, inquit ipse (5), in Eburonum (6) gente, familia im-

---

(1) « De cognomine hoc obiter monebo, non *Ramum* illi verum et genuinum cognomentum fuisse, sed affectatum ob vicinitatem nominis. Vernacule enim (de la Ramée) velut a Ramo, aut si mavis, Rameus dicebatur. » Nancel. in *Vita Rami*, p. 10.

(2) Varia hæc Ramus et alia forsan nomina apud varios scriptores obtinet: *De la Ramée*, *la Ramée*, *Rameau*, *la Verdure* aut *de la Verdure*. Hoc etiam anagramma apud Nancelium reperias: « Petrus Ramus, qui *merus partus* dici commode potest. » Vita Rami, p. 7.

(3) *Cuth*, vel *Cuthe*, vel etiam *Cus*, vicus erat in Suessionensi diœcesi situs, haud procul a Suessione, Novioduno atque Trachyo, in Veromanduorum ditione, ut testatur Nancelius Trachyenus Noviodunensis, in Vita Rami, p. 8; Cf. Expilly, Dict. géogr., hist. et polit. des Gaules et de la France, art. Cuthe. Banosius, in Rami vita, p. 3, patriam ejus *Quut* appellat.

(4) Nancel. l. c.; Sammarthani Elog., l. II, art. P. Ramus. Franç. Dinet, Théâtre de la noblesse françoise, t. II, lib. III, c. 9, p. 148-149.

(5) Orat. init. professionis suæ habita, ann. 1551.

(6) Inde apparet quantum deceptus fuerit Ant. Teissier (Éloges des hommes savants, art. P. Ramus), quum dixerit: « Il était descendu d'une famille noble, qui tirait son origine d'*Évreux*. » Scilicet, ut recte observat Bayle (Dict. hist. et crit., art. Ramus, not. A), legerat Teissier *Eburovices* pro *Eburonibus*: de his autem vid. Cæsaris Comment., l. V, c. 24.

primis illustri fuit; » sed capta Leodiensi civitate incensaque a Carolo Burgundorum duce (1), bonis omnibus exutus, in Picardiam commigravit, ibique ob paupertatem carbonarius fuit. Istius autem carbonarii filius Jacobus nomine, cognomine a Ramo, ducta uxore Joanna Carpenteria, honesta quidem, sed de paupere quoque familia (2), agricola fuit. Quod velut probrum quum sæpe Ramo ab inimicis et obtrectatoribus objiceretur, id ipse aperte professus est in oratione quam Lutetiæ initio professionis suæ habuit. « Carbonarius pater probri loco nobis objectus est. Avus certe carbonarius fuit; pater agricola fuit: utroque etiam pauperior fui, et sic a malo divite nescio quo, cujus et pater et patria ignoratur, generis ingenui paupertas in nobis accusatur. At christianus sum, nec unquam paupertatem malum putavi. Aristoteleus non sum, ut difficile putem esse præclaras res agere, cui magnæ opes desunt..... Ergo, Deus optime maxime, qui potes e lapidibus suscitare filios Abrahæ, suscita in carbonarii nepote, agricolæ filio, tot indignitatibus afflicto, non magnas opes quibus ad instrumenta professionis meæ, atramentum, chartam, pennam non admodum opus est, sed tota vita mentem rectam, perpetuamque diligentiam et industriam..... (3) »

Natus est P. Ramus anno MDXV (4). Vix au-

(1) Anno 1468, dum Carolus suppetias ferret Ludovico XI, Francorum regi.

(2) « Ut essent ambo, ut ait Horatius, humili de plebe parentes. » Nancel. Vit. Rami, p. 8.

(3) Orat. init. prof. suæ ann. 1551 habita, sub finem.

(4) Post mensem augustum natus est Ramus, ut ex Freigio, Nancel.

tem e cunis egressus erat, quum peste bis laboravit (1); neque multo post patre orbatus est (2). Sic in puerum et pene infantem fortuna inimica sævire cœpit : certum reliquæ vitæ præsagium, tot acerbitatibus lacerandæ, quas quidem æquo et constanti animo sustinuit; virtute vero et liberali spiritu ingenuam stirpem adeo nobilitavit, ut eum quasi *aureum ramum* extulisse jure dicta fuerit (3). Quod brevi in aperto fuit : nempe in eo præclaræ illæ dotes quæ in matura ætate virum commendaverunt, etiam a teneris eminebant : probitas, acerrimum et liberum ingenium, laboris patientia, atque in primis eximius ille veritatis amor qui philosophum facit.

Ramus enim, quum puer adhuc ingenita quadam discendi cupiditate arderet, solam bonarum artium humanarumque literarum magistram Lutetiam sponte adiit (4), sed invita, ut ipse ait, modisque omnibus repugnante fortuna. Octavum nonumve agebat annum (5), quum Lutetiam, ad capessendas artes in-

---

Banos. conjicere licet, cum nos doceant Ramum die 26 aug. 1572 mortuum esse nondum exacto anno ætatis suæ 57. Nescio quomodo factum fuerit ut scriptores quidam Rami ortum ad ann. 1502 vel 1508 retulerint, quum suppares discipulique et amici omnes testes sint illum eo ipso anno natum, quo Franciscus I Galliarum rex designatus est. Vid. Freig. Vit. Rami, p. 6, et passim; Nancel. p. 7; Theoph. Banos., p. 3, etc. Ego vero, ait Nancel. (p. 9), natales P. Rami, et larem genialem, ipsaque velut cunabula, et lectulum in quo mater enixa, et ille natus fuerat, summa cum voluptate aliquando conspexi. » Inde colligere licet quantum a vero declinaverit doctissimus Gouget (Mém. hist. et litt., etc., art. Ramus, init.).

(1) « Puer vix e cunis egressus, duplici peste laboravi. » Ramus, in epilogo Defensionis pro Arist. adv. J. Schecium.

(2) Nancel., ibid., p. 10. « Patrem admodum puer amisit. »

(3) Freig. in *Vit. Rami*, p. 6 fin.

(4) Sammarth. *l. c.* Banos, p. 3. Ram. *Orat. init. prof. suæ habit.*

(5) Th. Banos. *l. c.* « Anno ætatis suæ circiter octavo, sponte Lutetiam

genuas venit. Inde bis abductus violentia temporis, id est inopia, bis eodem reversus est, eo videlicet ardentiore discendi studio incensus, quo vehementius prohibebatur (1). Interdum tamen opem aliquam nactus est. Erat Lutetiæ avunculus Rami quidam, Honoratus, re et nomine Carpenterius, faber utique lignarius; quem noster in Hispaniam et Compostellam peregrinaturum comitari instituit (2); neque tamen Galliam derelinquere coactus est (3). Nam quum idem Carpenterius, mutata sententia, ad militiam sese accinxisset, eique militaturo Ramus pediti pedes, ac velut calo sive lixa esset adjunctus, pace tandem constituta (4), jam satis adultus ad literarum studia animum applicare potuit. Ei primum avunculus vestimenta et libros pro tenui facultate, victum etiam suppeditavit (5). Sed paucis post mensibus, cum a

---

adiit. » Sic autem legitur in *Scaligeranis I*, p. 333, ed. 1695, Col.: « Ramus usque ad annum decimum nonum ne quidem primas notas didicerat. » Bayle (Dict. hist. et crit., art. *Ramus*, not. B) nihil credit Scaligeranis, idque merito, neque tamen a consueta dubitatione satis abstinuit. Cæterum ad Banosii narrationem Freigii quoque (p. 6) ac Nancelii (p. 10) testimonia accedunt. — Rami autem ut ingenium, ita et corpus mature adolevit, teste Nancelio (l. c. p. 10 sqq.)

(1) Orat. init. prof. s. habit.

(2) Nancel. l. c. p. 10, 11.

(3) Conjicio Ramum, dum avunculo comes, sive peregrinaturo, sive militaturo adjunctus esset, ad Arvernorum usque regionem iter fecisse. « Memini, inquit, mihi quondam puero in altissimis Arvernorum montibus rem mirabilem visam esse. » Schol. dial. l. VI, c. 1, col. 195 (ed. 1578).

(4) Nancel. ibid. Bellum illud de quo loquitur Nancelius erat, ut opinor, inter Franciscum I regem et Carolum V imperatorem; pax enim quæ isti bello finem aliquando fecisse visa est, ad annum 1526 referenda est. Vid. J. A. Thuani Hist. sui temp. lib. II, ad ann. 1526. Ramus autem « Academiæ nomen dedit ann. 1527, » teste Du Boulay, Hist. Univ. Par. t. VI, in *Catalogo*.

(5) Nancel. p. 11; Banos. p. 3.

matre pueri paupere nihil accederet viatici aut annonæ, faber in diem victitans nimio fuit impar oneri. Postremo igitur illo levamento destitutus, suam rursum fortunam philosophus noster expertus est. At, quo magis ista sævіit, eo se magis propositi tenacem præstitit, donec superatis omnibus paupertatis incommodis, ad supremam eruditi ingenii laudem pervenerit. Scilicet, quum jam esset adultior juvenis, in gymnasio Navarræo (1) magistrum delegit, cui cubicularius inserviret (2), eo nempe animo ut victum qualemcumque sibi compararet, studendique simul occasionem nancisceretur facilius : ita vel pauper et servus, ad altiora semper evexit animum. « Multos annos, ut ipse memorat, duram servitutem servivit, animo tamen nunquam servus fuit, animum nunquam despondit vel abjecit (3); » sed liberali quodam discendi ardore inflammatus, diurna servitute absoluta, noctem in elucubrando consumebat, tam acri et pertinaci studio, ut nocturnæ quieti vix ternas horas impertiret (4). Ex quo gravis illum ophthalmia prehendit, cursumque studiorum magno adolescentis desiderio retardavit (5). Neque tamen eo minus invigilavit, novumque etiam

---

(1) Collegii Navarræi laudes reperire est amplissimas in Regii Navarræ gymn. Paris. historia, auct. De Launoy, Paris., 1677, in-4°. Cf. Felibian. Hist. de la ville de Paris, t. I, p. 508 sqq. ; Du Boulay, t. IV, p. 74, etc.

(2) Nancel, p. 11. Vid. Scaliger. Prim. ibid. : « Inserviebat dom. *De la Brosse.* Sic ad hunc locum Bayle disserit : « M. Teissier croit que Scaliger parle d'une dame; mais *dom.* est aussitôt le commencement de *domino* que de *dominæ.* » Dict. hist. ibid. not. B.

(3) Orat. init. prof. suæ habit.

(4) Nancel, l. c., p. 11.

(5) Id. ibid, et p. 16-17; Cf. Theod. Zuinger. Theatr. humanæ vitæ, vol. II, l. IV, p. 343, col. a.

invenit artificium, quo, ad exemplar Aristotelis, somnum excuteret, plus olei quam vini absumens, ut Crates monebat (1). Noctu videlicet cogitando scribendoque sibi propria facere licebat quæcumque certis diei horis in publicis collegii Navarræi lectionibus audiisset, sive gratis ad eas admitteretur, sive modicam, quæ tum exigebatur a scholasticis pecuniam de sua mercede detraheret. Sic totum studiorum curriculum emensus est, maximo quidem labore, non tamen omni destitutus auxilio. Mirum enim illud esse mihi videtur, quod a nonnullis de Ramo dictum est (2) : hunc sine ullius magistri auditione philosophum evasisse; illud, inquam, mirum prorsus mihi videtur, quum vel ipsius testimonio constet tres illi annos sexque menses de more in scholasticæ philosophiæ studio positos fuisse (3). Neque ideo minus Ramum admi-

---

(1) Nancel., p. 11 : « Ita Ramus noster novo quodam artificio somnum excutere cogitavit, saxo ad funiculum ambustum appenso : quo quidem lenta ustione consumpto intra duas aut tres horas, cum impetu solum illidente lapide, expergefactus surgere properabat. »

(2) Sunt qui Ramum sine ullius præceptoris auxilio, propriæ diligentiæ felicitate, ad id doctrinæ culmen evasisse contendant, quo postea eminuit. Morhofius (Polyhist. t. I, l. I, num. 5, p. 6) : « . . . Petrum Ramum in philosophiæ studiis sine adjumento rem omnem confecisse accepimus. » Cf. Naudæum (de stud. liberali, c. 5, p. m. 89), et Edm. Richer. (Obstetrix animorum, c. 2, p. 20).

(3) Ramus, Schol. dialect. lib. V epilog. — Satis quidem constat philosophiæ cursum usque ad annum 1543, longoque etiam postea tempore, trium fuisse annorum sexque mensium. Anno autem 1543, « Rectore P. Gallandio, actum est de contrahendo studio philosophico, seu diminuendo tempore cursus artium. Tunc enim erat trium annorum cum dimidio; et pluribus placebat annum detrahi. Igitur die 6 Julii. . . ea res *primum* proposita et agitata. » Du Boulay, Hist. Universitatis Paris., t. VI, p. 381. — Aristotelicum professorem Ramus habuit Joannem Hannonium, qui postea fuit Lexoviensis episcopus. « Joann. Hannonium, inquit Jac. Carpentarius (Ad Exposit. de methodo, contra Thess. Ossat. etc. fol. 3 v.), olim in Aristotele

rari debemus, quum in ea ipsa conditione quam diximus, sua constantia ingeniique alacritate professorum lectiones non tantum ut discipulus intellexerit, sed etiam tanquam judex aliquis ita expenderit, ut a scholastica primum philosophia discederet, novamque ipse auspicaretur. Vix enim annos natus XXI, septem artium liberalium magisterium adepturus, scholasticam philosophiam lacessere, ipsamque Aristotelis auctoritatem aggredi minime dubitavit. Hinc primus sermo de ipso fuit, tum ob novam et inauditam paradoxi speciem, tum ob juvenis ipsius temeritatem et ingenium : hinc exordium famæ et publicorum laborum. Quos quidem quisquis vult intelligere, necesse est intelligat prius quo tandem animo Ramus e longo studiorum curriculo egressus fuerit. Hic autem ipse audiendus est.

« Cum tres annos sexque menses, inquit, in philosophia scholastica ex Academiæ nostræ legibus posuissem, logicis organi libris agnoscendis, disputandis, meditandis (ex omnibus enim Aristotelicis libris, logici præcipue toto triennii tempore clamantur et reclamantur) cum, inquam, tempus illud ita traduxissem,.... subducta ætatis meæ ratione, in scholasticis artibus consumptæ, consideravi quibus in rebus logici organi artes, quas antea tot clamoribus et sudoribus didiceram, in posteris exercerem. Non in historia et antiquitate rerum prudentiorem, non in dicendo disertiorem ; non in poesi promptiorem ; non denique ulla

magistrum tuum, nunc vero graviter dolentem quod in te facem ardentem philosophiæ pepererit. » Cf. Rami Epist. quæ Aristotelicis Animadv. præfixa est (ed. 1543).

in re talibus logicis me sapientiorem factum deprehendi. Hei misero mihi, ut obstupui, ut alte ingemui, ut me naturamque meam deploravi, ut infelici quodam miseroque fato, ut ingenio a Musis prorsus abhorrenti me natum esse judicavi, quo nullum fructum ejus sapientiæ quæ tanta in illis logicis prædicaretur, percipere aut cernere tantis laboribus potuissem.... Incidi tamdem in Galeni librum de decretis Hippocratis et Platonis.... Sed tamen hac Hippocratis et Platonis comparatione non tam sum satiatus, quam excitatus ad omnes Platonis dialogos, qui de dialectica aliquid præciperent, perlegendum. Hic, ut verum fatear, optatissimus et gratissimus salutis portus fuit.... Id etiam in Platone valde probavi et amavi, quod Socrates in falsis opinionibus refellendis id unum maxime sibi proponeret, ut eos quos contra disputaret, a sensibus opinionum, et testimoniis hominum avocaret, traduceretque ad æquitatem animi et libertatem judicii, quia philosophis stultum esse censeret, hominum sententiis, quæ plerumque fallaces essent et mendaces, potius temere commoveri quam rei cognitæ et ex omnibus causis perceptæ constanter assentiri. Quid plura? cœpi egomet mecum (cum alio id mihi religiosum fuisset) sic cogitare : Hem? quid vetat paulisper σωκρατίζειν et omissa Aristotelica auctoritate, quærere, verane sit et propria dialecticæ hæc doctrina? fortasse enim philosophus iste sua nos auctoritate decepit.... quid si commentitia sit illa doctrina? (1) »

(1) Schol. Dial., lib. IV, c. 16, in epilogo. Cf. Freig., p. 11 sqq. et Banos., p. 5, 6.

Sic ille. Nos autem ex his verbis habemus quemadmodum a scholastica philosophia abhorrere cœperit. Quis enim, talia legendo, non sponte præclarum illud *de Methodo* exordium in animum revocaverit? Scilicet Ramus eamdem habuit mentem, quam postea Cartesius, quum collegii studiis valediceret, nec sese magis ad quidvis idoneum aptumque factum fuisse animadverteret (1). Quod si quis admiretur Petrum Ramum Cartesii vices non sibi assumpsisse, hoc unum attendat, quantum inter XVI et XVII seculum distet ac differat. In quorum priori maximus omnia reformandi ardor emicuit, sed aut parva aut inania, aut majora quam pro homine et a nostra omnium natura aliena proposita sunt (2). Ad suam quisque ætatem pertinet; neque Ramus aliam reformare philosophiam poterat, quam quæ tunc vigeret, id est Aristotelis logicam. Hujus autem dominatio prorsus absurda per tot scholasticarum disputationum secula facta fuerat. Quam evertere, aut saltem labefacere, primus Rami labor fuit. Ea nempe sententia motus, proximam quæ data fuit occasionem arripuit, ut scholastici morbi medicinam ultro afferret. Cum enim in eo esset ut magister artium fieret, ac pro more liberam disputandi materiam judicibus suis proponere cogeretur, ostentandi ingenii causa, paradoxum illud suscepit, *Quæcumque ab Aristotele dicta essent, commentitia esse* (3): novum certe et inauditum problema, et quod magnam ipsi argumentandi copiam faceret,

(1) Disc. de la Méthode, pars prima.
(2) Vid. V. Cousin, l. c., p. 1.
(3) Freig., ibid., p. 9, 10.

judices autem et auditores vehementer commoveret. Tunc enim stupescere magistri, quum nomine Aristotelis tanquam scuto sese adversus omnes ictus protegere consuevissent. Tunc omnes peripatetici, qui Lutetiæ aderant, irruere et quasi impetum facere, sed frustra, ut qui philosophi auctoritatem sibi ereptam viderent. Irrito igitur conatu per diem integram *Magistrandum*, ut barbare vocabant, oppugnarunt; qui quidem tanta in respondendo alacritate ingenioque usus est, ut magister artium magno cum applausu factus fuerit. Ex hoc fortuito successu ansam deinceps serio et libere in Aristotelem Aristotelisque simias animadvertendi et inquirendi arripuit; logicamque præcipue tanquam instrumentum reliquarum artium expolire et a rubigine liberare instituit (1).

Difficile est efficere ut quis intelligat quantopere nostri philosophi audacia commoti omnes ubique et attoniti fuerint. Illius enim paradoxum (quod quidem et ipse postea haud semel pro paradoxo habuit) per omnes Galliæ academias divulgatum, ultraque Alpes transvectum, ipsis Italiæ philosophis stuporem injecit. Cujus facti sit testis Alexander Tassonius poeta, cujus verba talia sunt : « Più audace, inquit, fu la prova di Pietro Ramo, autore per altro poco degno d'essere nominato. Questi dovendo secondo l'uso di Parigi sostener conclusioni prima che fosse creato maestro, per bizarria d'ingegno, propose questa sola a qualunque volesse argomentare, dando libero campo a tutti : *Quæcumque ab Aristotele dicta sint, falsa et com-*

(1) Frelg., p. 10; Theod. Zuinger., Th. hum. vitæ, vol. IV, l. IV, p. 1177, col. b.

mentitia esse. La quale havendo eccitati contra di lui tutti l'ingegni.... Egli nondimeno con tanta prontezza e sottigliezza di risposte la difese, che fa rimaner confusa e stupita la città di Parigi (1). » Inde apparet quantus omnium stupor Rami tentamen tanquam inauditum facinus ubique exceperit. At tunc quidem temporis nulla alia pœna affectus est, felixque prorsus logicæ reformationis initium habuit. Imo eodem illo tempore, quod fere omnes recentiores historicos latuit, potentissimum sibi amicum Mæcenatemque conciliavit. Erat enim, inter opulentiores ac nobiliores Rami condiscipulos in Navarræ collegio, Carolus a Lotharingia, qui primum Guisius cardinalis et archiepiscopus Rhemensis, deinde cardinalis Lotharingus fuit : huic noster jam tum innotescere, tum gratus esse cœpit (2), quod princeps ille in Ramo, infima licet in conditione, insignia tamen liberalis animi doctrinæque haud vulgaris indicia deprehenderet (3).

Postquam igitur Ramus artium magister factus est (4), subinde mutata servili conditione, liber factus, artes ingenuas ardenti studio et pertinaci labore profiteri aggressus est, anno ætatis, ut jam supra diximus, vicesimo primo, qui fuit annus Christi MDXXXVI (5).

(1) Alessandro Tassoni, Pensieri diversi, l. X, c. 3, apud La Croix du Maine, Biblioth. françoise, t. II, p. 311.

(2) Vid. Rami Collectan. præf. epist. orat., Epist. XV.

(3) Nancel., l. c., p. 11, 12.

(4) « Magisterii sumptus suppeditaverant, tum avunculus, tum mater ipsa, agelli cujusdam portione in eum finem vendita,.. quod quidem postea vel cum fœnore reddidit et matri Johannæ, et quam unicam habuit sorori Franciscæ; id quod ab illis ipsis sicut et alia multa percontando didici. » Nancel., ibid. Hunc Nancelii locum inepte interpretatur Ant. Savérien, Hist. des Phil. mod., t. III, p. 8.

(5) Freig., in Vit. Rami, p. 13.

Dialecticæ studiis in primis se totum dedidit (1), ut ejus artis *usum*, veterum et philosophorum et oratorum exercitationibus tantopere celebratum, scholis Parisiensibus restitueret (2). In Cenomano autem gymnasio (3) prima jecit docendi fundamenta, tirociniumque habuit : cujus brevi perspectam doctrinam et industriam plerique Parisienses gymnasiarchæ ambire cœperunt. Tunc Ramus duos sibi vitæ et doctrinæ socios adjunxit, Audomarum Talæum (4) Bellovacensem, rhetorem eloquentiæ studio celebrem, et Bartholomæum Alexandrum Campanum, hominem græcæ linguæ peritum. Tres mutuas operas conferunt, fraternam jurant amicitiam, commune vitæ genus deligunt, communes studiorum fructus inter se partiuntur (5). Mox autem commigrant in Marianum

---

(1) « Idque, Tusani græcarum literarum regii professoris motus adhortationibus. » Banos., l. c., p. 5.

(2) Freig., p. 13. Cf Rami Orat. pro philos Paris. Academiæ disciplina. Vid. etiam Præfat. Scholarum in lib. artes : « Joanne Sturmio doctore logicam istam ubertatem primum degustavi, etc. »

(3) Vid. Felib., Hist. de la ville de Paris, t. II, p. 974. Hoc vocabulo : *Cenomanum* quod in Vita Rami per Nancelium (p. 12) offenderat, Ant. Saverien (l. c., p. 8) ita deceptus est, ut de prima Rami professione ridicula hæc verba fecerit : « Il forma alors le projet d'enseigner sa doctrine. Paris lui parut un champ trop vaste et trop dangereux pour y faire ses premiers essais. Il choisit *le Mans*, et alla y établir une école.... Le Mans était un endroit bien borné pour des hommes de ce mérite, etc. » Hunc nimirum fugiebat, diversa provinciarum nomina in plerisque Lutetiæ collegiis inscripta esse, ut Navarræ, Bellovacensium, Bajocensium, Rhemensium, etc.

(4) Veromanduum nat. ann. circit. 1510, mort. ann. 1562; vernacule *Omer Talon*; cujus deinde plurima fiet mentio. Vid. Moréri, Dict. hist., art. Talon; Nancel., p. 40 : « Aud. Talæus, homo perquam facetus, facilis, comes, urbanus, benevolus et sane perdoctus, planeque ad docendum compositus et effictus, quo nemo elegantius, nemo magis diserte (si a Ramo discesseris) Lutetiæ docuit aut locutus est scripsitve eo tempore. » Cf. Banos., p. 6, et Scaliger. ibid.

(5) Nancel., p. 12, 13.

collegium (1), ubi horas lectionesque suas ita distribuunt, ut Ramus ceteris præsit, modumque dicendi ac docendi præscribat (2). Latinis græco novo quodam more et hactenus in Academia Parisiensi inusitata, simulque cum eloquentia philosophiam, poetas atque oratores pariter explicando conjungunt (3). Fit concursus ingens auditorum, omniumque applausus, præcipue cum Ramus declamitaret.

Interea dum liberalibus incumberet studiis, veramque artium et in primis dialecticæ institutionem quæreret simul inventamque alios, non sine quorumdam invidia, doceret, ecce intra annum MDXLIII (4) duos libros, ut suæ ipsius doctrinæ et rationis specimina, edidit, quorum uni titulus erat: *Aristotelicæ animadversiones;* alter inscriptus erat: *Dialecticæ partitiones ad Academiam Parisiensem* (5). Utriusque libri propositum vel ex iis quæ supra dicta sunt, satis perspicuum habemus. Nempe Rami dialectica, parum Aristotelica, in Dialecticis partitionibus eleganter breviterque fuerat descripta; nihil autem in Aristotelicis animadversionibus reperiendum erat, nisi Aristotelis vivida quædam acerbaque censura, et quæ cum priore illa magisterii thesi consentire videretur. Scili-

---

(1) Obscurum illud ac perparvum gymnasium Marianum dicebatur, ab inscripto valvis titulo: *Ave Maria.* De quo vid. Felib., t. I, p. 593, ad ann. 1339. Cf. Du Boulay, t. IV, p 261.

(2) « Ut splendidior et honorabilior, seu honoratior atque doctior, et vero majestate sua quadam nativa dignus imperio. » Nancel., p. 13.

(3) Id., ibid. Cf. Tres orationes a P. Ramo, Aud. Tal., Barth. Alex. Lutetiæ in Mariano gymnasio habit., ann. 1544.

(4) *Septimo anno* post susceptam magistri lauream, inquit Banos., p. 6. « Annos natus 28, » inq. Freig., p. 13.

(5) Vid. infra Catalog. operum Rami.

cet, quanquam magis temperata fuit paradoxi species, tamen reprehendebantur Aristoteles et Aristotelei acriori quidem stylo, quam ut tali tempore tolerari posset (1). Quum autem in academica thesi verba volare, scripta vero manere sentirent ejus adversarii, inde factum est ut idem ille Ramus, cujus nimia in artium magisterio adipiscendo temeritas impune fuisset, minus felix in scribendo, omni pœna affectus et, ut ita dicam, oppressus fuerit.

Vix enim in lucem editi sunt et avidissime a quibusdam perlecti gemini libri, quum vehementer commota Universitas rectore P. Gallandio, decretum judicum ante omnia obtinuit, quo temerarii libelli statim suppressi sunt, ut qui periculosum rerum novarum amorem scholasticorum mentibus injicerent, et Aristoteli, id est naturæ, veritati et quasi deo cuidam impie repugnarent (2). Sed de his melius Audomarus Talæus in *Academia* (3), cujus narratio fere tota hic repetenda est.

« Duo præsertim homines tam vehementer irati commotique sunt (4), ut qui Aristotelem reprehen-

(1) « Ce qui le fit tant haïr... de toute l'Université (par manière de dire), ce fut qu'il fit des animadversions ou répréhensions sur Aristote, lequel étoit tenu comme pour un dieu des escoliers de son temps, et contre lequel escrire ou se bander, c'estoit offenser par trop : comme si Aristote n'estoit pas homme, et par conséquent subjet à faillir. » La Croix du Maine, Bibl. françoise, t. II, art. Pierre de la Ramée.

(2) Du Boulay, Hist. univers. Paris., t. VI, p. 387 sqq.; Cf. Jac. Carpentarii Animadv. in tres libros dialect. institutionum P. Rami, fol. 10 sqq.; ejusd. Respons. ad Exposit. de meth., contra Thessalum Ossatum, fol. 4 sqq.

(3) Aud. Talæi Academia, ad cardinalem Lotharingum, ann. 1548; quam legere est in P. Rami et Aud. Talæi Collectaneis præfat. epist. orat. Cf. Freig., ibid., p. 14 sqq.; De Launoi, De varia Arist. in Acad. Paris. fortuna, c. 13, 14; Du Boulay, l. c.; Jac. Carpent., ibid., etc.

(4) Hi duo erant : Joachimus Perionius, doctor Sorbonista (de quo vid.

deret, existimarent eum omnes artes conturbare, jura humana et divina pervertere, omnem humani judicii libertatem eripere, denique e mundo quasi mundi solem tollere; atque Aristotelico spiritu afflati exclamarunt tantum scelus igne expiandum esse : et ne testimonio tantæ stultitiæ careamus.... libellis contra Aristotelicas animadversiones descriptis (1), id prædicandum et divulgandum censuerunt; quos homines, quoniam a seipsis satis vexati sunt, et a fratre meo (2) perpetuo contempti, tandemque Aristoteleo judicio rescisso (3) satis refutati, non puto mihi severius notandos esse. Sed quid Aristoteleos duos hic memoro, quum tota istorum hominum natio eadem sit? Enimvero quid singularem et post homines natos inauditam historiam referam? Summa semper libertas fuit grammaticis, rhetoribus, mathematicis, philosophis, contra grammaticos, rhetores, mathematicos, philosophos, dicendi et scribendi : eaque libertas, quia ad omnium artium perfectionem pertinere magnopere videbatur, maxime probata est, et omnium philosophorum, Aristotelis præsertim

---

Thevet, Pourtraits et vies des h. ill., t. I, l. III, fol. 135), et Antonius Goveanus, Lusitanus, nat. ann. 1505, de quo nonnulla leguntur in *Hispaniæ Bibliotheca* (Francof., 1608, in-1°) t. II, class. VII, Jurisconsultorum, p. 300-301 : « A Cujacio mirifice Goveanus prædicabatur. » — « Orta lite cum Petro Ramo, disputare publice non dubitavit, allato in forum exemplari græco philosophi (Aristot.) » *Ibid.*

(1) Scilicet contra Ramum dissertationes peripateticæ a J. Perionio et Ant. Goveano descriptæ sunt : quas Thuanus, Rami licet admirator, laudare non dubitat (libr. XXIII, ad ann. 1559).

(2) Id est P. Ramo, qui Talæum quoque *fratrem suum* appellare solet.

(3) Hæc nimirum anno 1548 Talæus edidit, cum ab Henrico II rege Francisci I judicium adversus Ramum Ramique libros rescissum fuisset : de quo infra dicemus.

præceptis unice commendata. At quoniam Petrus Ramus *Aristotelicis animadv.* Aristoteleos dormientes vellicare ausus erat, Deus bone! meminisse horret, quæ contigerint. Res atrociores prætermittam (1) : ex Aristoteleis neminem nominabo, summam rerum simpliciter attingam. Vix *Aristotelicæ animadversiones* (2) lectæ erant, quum Petrus Ramus non ad humanam aliquam et literis usitatam disputationem ab Academia vocatur, sed ad prætorii tribunalis capitalem contentionem per certos homines (3) falso Academiæ nomine rapitur, novique et ante hunc diem inauditi criminis accusatur, quod Aristoteli repugnando, theologiam et artes enervaret. Hac enim oratione Aristotelea actio instituta est. Hinc Aristoteleorum clamoribus ad summum Parisiensis curiæ consilium traducitur : deinde cum legitimo judicii more res agi...... videretur, novis artibus a senatu parisiensi ad regiam cognitionem disjicitur (4) : qua constitutis quinque judicibus, binis ex utraque parte (5), quinto regia denominatione designato, causam de sin-

(1) Nempe atrociora nonnulla retulit ipse Jac. Carpentarius, Animadversion. in Dial. instit. P. Rami, fol. 10 sqq. Cf. P. Galland. in P. Castellani Vita, p. 75 sq.

(2) Solum enim hoc opus videtur Peripateticorum indignationem movisse.

(3) Id est Montuellum rectorem, Goveanumque et Gallandium, ac in primis doctores theologicæ facultatis, inter quos primas tenebat Salignacius.

(4) Gallandius amice utebatur P. Castellano, qui regem Franciscum admonuit hortatusque est ut Rami insolentiam reprimeret, ideoque res ad publicam disputationem sub certos judices remitteretur. Vid. P. Castellani Vitam per P. Galland., num. 45, p. 75 sqq.

(5) Ant. Goveanus, privato simul ac publico Academiæ nomine, sese Ramo adversarium dicendo scribendoque acerrime opposuerat, non tantum ambitionis causa, sicut postea J. Carpentarius, sed etiam ut pro Aristotele

gulis Animadversionum capitibus dicere jubetur (1). Hic tametsi de quinque judicibus, tres infensissimos (2) Ramus habebat, tamen ut mandato regio obtemperaret, ad diem constitutam adfuit. Scriba unus aderat, qui rationes Rami et judicum sententias exciperet: defensionis suæ testem impetrare Ramus neminem potuit. Biduo magna contentione de dialecticæ artis definitione et partitione, quæ in logici organi libris nullæ essent, concertatum est. Tres Aristotelei judices primo die contra omnes bene descriptæ artis leges judicarunt, ad dialecticæ artis perfectionem definitione nihil opus esse. Joannes Quintinus Heduus (3), Joannes Bomontius Parisiensis (4), qui duo judices a Ramo delecti, pro singulari sua eruditione et doctrina censuerunt omnem disputationem quæ via et ratione procederet, a definitione proficisci debere, idque per scriptum obsignarunt (5). Postridie tres judices Aristotelei vehementer conturbati de parti-

---

propugnaret, quem ante omnes philosophos diligebat et sequebatur. Vid. Jac. Carpentar. l. c., fol. 11 rect.; Hisp. biblioth., ibid.

(1) Hæc disputatio die V id. febr. 1543 (1544) inchoata est. Vid. Jac. Carpentar., ibid.

(2) Duo judices ab Ant. Goveano, aut potius ab Academia delecti fuerant Petrus Danesius et Franciscus a Vicomercato, professores regii, Aristotelis sectatores. Tertius peripateticus judex erat a rege nominatus Joannes Salignacius, D. theologiæ, ordinis sui facile princeps, quique gallicanæ Ecclesiæ legatus ad Tridentinum concilium missus est. Ex duobus reliquis judicibus, a Ramo designatis, Bomontius Aristoteli satis favebat, teste Jac. Carpentario, ibid., fol. 11 v.

(3) D. Canonista, amicus Rami, teste Nancel. in vita Rami, p. 65.

(4) D. medicus, qui anno sequenti, quum peste laboravisset, e vivis sublatus, in amicitiæ memoriam a Ramo in oratione publica laudatus est. Vid. Tres orat. a P. Ramo, A. Tal., B. Alex., etc.

(5) Rem aliter Carpentarius enarrat, fingitque (partim ut sibi placuit) quidquid singulis diebus disputatum fuerit. Animadv. in P. Ramum, fol. 11 sqq. Cf. ejusd. Respons. ad exposit. de methodo, etc., fol. 4, 5.

tione assentiuntur, dialecticæ legitimas esse partes inventionem et judicium, atque hac de re sententias suas perscribunt. Verum cum Ramus urgeret Aristoteleos : igitur a se merito reprehendi quod propria partitione prætermissa totam dialecticam tenebris obruerent, tribus judicibus ampliari causam placuit et in alium diem rejici, quia ista via Aristotelei superiores esse non possent. Hic audiendi Rami finis fuit; deinceps enim Aristotelei judices æstuare, rixari inter se et jurgare quod se per imprudentiam demersissent, unde incolumes emergere non possent. Itaque ne non damnaretur Ramus, novum consilium initur, ut ab initio tota disputatio retexeretur et adhuc injudicata duceretur, proque nihilo haberetur. Id vero Ramus se facturum pernegavit, cœpitque liberius conqueri, his se judicibus esse traditum quibus satis non esset ejus sententiam tam cœca cupiditate oppugnare, nisi ipsi quoque suam, dictam præsertim et obsignatam, nullo inconstantiæ pudore rescinderent. Quare tum Ramus a tribus illis accusatoriis judicibus, cum eos neque sua conquestione, neque reliquorum judicium admonitione de tanta violentia deduceret, appellavit. Postremum igitur illud fuit : tanta auctoritas contra Ramum impetratur, ut tribus Aristoteleis judicibus infinita potestate sine auxilio, sine provocatione judicium de Aristotelicis animadversionibus permitteretur : tam variis scilicet machinis, tam multis copiis, tot potestatibus ad confutandum dialecticæ disputationis argumentum opus fuit (1). Vix, ita me Deus amet,

---

(1) Hoc ipse Carpentarius (l. c., fol. 11 et 12 rect.) fatetur : « Ecce vero,

Vix Priamus tanti, totaque Troja fuit.

» Sed cetera attendamus; huic tantæ potestati, majori etiam cupiditati Quintinus et Bomontius concessere (1), perscripta tamen ante de universa disputatione sententia, testati sibi placere, ut in philosophia, sicut antea semper fuisset, liberum esset in omnem partem disputare : ex eo autem consessu se discedere, quia se non socios consiliis, sed injuriæ, quæ Ramo fieret, adhibitos testes intelligerent. Idemque Ramus non sine stomacho, cum a tribus illis contumeliose illuderetur, fecit, et se tempora sperare dixit, quibus tales judices de suo facto nequaquam parem essent voluptatem percepturi. Ita vi victa, vel certe hominum quorumcumque opinione ad tempus oppressa causa est. Condemnantur igitur triumvirali sententia (2), non modo indicta, sed incognita plane

---

inquit, secuta sunt deteriora omnia : cœpisti de re tua desperare, disputationem fugere, ut ad eam nisi loris revocari non potueris. Quare rex opt. et literarum amantissimus... novam adhibet authoritatem, quæ te eo ludo iterum includit, e quo turpiter excesseras, et istam curam prætorii tribunalis integerrimo senatori Bergelonio committit, ut te cogat quacumque ratione aut ad condemnandam novam tuam disciplinam, aut ad eamdem, sicut antea fuerat decretum, disputatione defendendam... »

(1) Quod eos separatim fecisse Carpentarius asserit, Quintinum nempe nono calend. febr., Bomontium autem prid. cal. e judicum cœtu discessisse. Ibid., fol 12 v. et 13 r.

(2) Du Boulay, Hist. univ. Paris, t. VI, p. 394. « Die 1 martii (1544) latum est tandem ab arbitris judicium decretorium adversus Ramum ejusque contra doctrinam Aristotelis animadversiones. « Cum christianissimus rex noster, pro suo in philosophiam et recta studia animo, nobis id oneris imposuerit ut librum quemdam P. Rami, quem is *Animadversionum Aristotelicarum* nomine inscriptum adversus Aristotelem edidit, accurate legeremus, et quæ de illo sententia nostra esset, exponeremus, nos diligenter perlecto libro et singulis ejus animadversis ac ponderatis sententiis ita censuimus : *Ramum temere, arroganter et impudenter fe-*

causa, *Animadversiones Aristotelicæ*. Hoc exspectari à talibus judicibus potuit. Ejusdem incendii ruina *Institutiones dialecticæ* (1) affliguntur, non alia quippe ratione quam quod ejusdem artificis opus erant: neque enim verbo Aristoteleos læserant, imo ne ab his quidem accusatæ unquam fuerant, sed ante illum diem ab Aristoteleis ipsis laudatæ. Quis judex, præter hos, damnavit unquam quod accusatum non esset, de quo reus nihil interrogatus esset? Auctori *Animadversionum* et *Institutionum* toto philosophiæ regno (2) velut aqua et igni, gravi etiam pœna addita, interdicitur, ne unquam vel scribendo vel docendo in ullam philosophiæ partem ingrederetur. Hoc vero non est dialecticum refellere, sed maledicum de suggestu deturbare.

---

visse, qui receptam apud omnes nationes logicæ artis rationem, quam ipse præsertim non teneret, damnare et improbare voluerit. Ea autem quæ in Aristotele reprehendebat, hujusmodi esse, ut hominis cum ignorantiam et stuporem, tum improbitatem et malitiam arguant, quum et multa quæ verissima sunt criminetur, et pleraque tribuat Aristoteli quæ is nunquam sensit. Denique, toto eo libro præter ea mendacia et scurrilem quamdam maledicentiam nihil contineatur. Ut reipublicæ literariæ plurimum nostra sententia interesse videatur, librum omni ratione supprimi, unaque librum alterum *Dialecticarum institutionum*, quod is quoque aliena multa et falsa contineat. Lutetiæ, ann. 1544, Kal. Mart. »

(1) Mirum quidem videri potest, quum Ramus *Dialecticas partitiones* anno 1543 edidisset, eas semper vel in judicum sententia, vel in regis edicto, vel apud ipsum Talæum mutato nomine *Institutiones dialecticas* appellari. Hunc sedenim libellum bis hoc ipso anno typis excussum fuisse constat, secundamque illam editionem novo nomine inscriptam fuisse: *Dialect. institutiones*. Vid. infra Catalog. op. Rami. Cf. Jac. Carpent. Animadv. in Dial. Instit., fol. 18 rect.

(2) His deceptus verbis Morerius Galliæ regno Ramum expulsum fuisse interpretatus est: quem facile erroris coarguit Baylius, l. c. not. N. Nancelius tamen, oratoria quadam pompa usus, ita de P. Castellano prædicat (p. 67): « Qui a Gallandio inductus, Ramo *sæpe* procuraverat *exilium*, atque adeo exitium, vel eo potissimum nomine, quod divum Aristotelem animadversionibus audaculis vellicasset. »

bare; atque hæc omnia regis, licet omnium regum et humanissimi et literarum amantissimi, tamen per falsas et improbissime confictas calumnias inducti, auctoritate confirmantur (1). »

Arbitrorum enim judicium subsecutæ sunt regiæ literæ in hunc modum :

« François, par la grâce de Dieu roy de France, à tous ceux qui ces présentes lettres verront, salut. Comme entre les autres grandes sollicitudes que nous avons toujours eües de bien ordonner et establir la chose publique de notre royaume, nous avons mis toute la peine que possible nous a esté de l'accroistre

(1) Hæc quidem Talæus, quæ sine hujus historiæ detrimento prætermitti non potuerunt. Eam autem narrationem ipsi rerum veritati consentaneam esse, cum ex Francisci I literis, quas adscripsimus, tum ex adversariorum Rami testimonio patet. Cum enim rectorem constet Ramo aut certe Rami doctrinæ infensissimum fuisse, sic legitur in libro Rectorio. « Eo Rectore (Guill. a Montuello), nescio quo genio malo irrumpente in Academiam, ingens facta est omnium studiorum repente perturbatio, edito recens libello cui titulus erat : *Animadversiones Aristotelicæ*, compositæ ad extinguendum in totum doctrinam unius Aristotelis, omnium philosophorum facile principis. Cui sane morbo non leviter grassanti et mentibus ad quidvis quod sit novum et inauditum facile sequacium paulatim sese insinuanti, mature et consulto est occursum, partim decreto judicum qui prudenter librum illum statim suppresserunt, et ne divenderetur publice inhibuerunt, partim editis brevi aliquot libris pro Aristotele, quibus authoris libelli istius calumniarum et mendaciorum pleni interclusæ sunt furiæ. Postremo tandem christianissimi regis consilio cum superiora omnia viderentur esse satis, ad tantum ignem, qui quotidie magis ac magis flagrabat, restinguendum, *delecti sunt tres* in omni linguarum et literarum genere exercitatissimi, qui, cum libellum illum et alterum ejusdem authoris propius penitiusque inspexissent, et libellorum authorem, juxta regis decretum, præsentem pro se dicentem præsentes ipsi audivissent, ex æquo et bono judicantes, magnam inclusam esse libellis imprudentiam et ignorantiam regi declararunt, qui pro sua in suam Academiam solita benevolentia, confectis regio sigillo notatis literis, omnibus regni partibus fugiendam hanc pestem significandum censuit... » Du Boulay, t. VI, p. 387 sqq. Cf. Jac. Carpentar., ibid.

et enrichir de toutes bonnes lettres et sciences à l'honneur et gloire de Nostre Seigneur et au salut des fidèles; puis n'aguères advertis du trouble advenu à nostre chère et aimée l'Université de Paris, à cause de deux livres faits par maistre Pierre Ramus, intitulez l'un *Dialecticæ institutiones*, et l'autre *Aristotelicæ animadversiones*, et des procez et différents, qui estoient pendans en nostre cour de Parlement audit lieu, entre elle et ledit Ramus pour raison desdits livres, nous les eussions évoquez à nous pour sommairement et promptement y pourvoir, et à cette fin eussions ordonné que maistre Antoine de Govéa, qui s'estoit présenté à impugner et débattre lesdits livres, et ledit Ramus qui les soustenoit et défendoit, éliroient et nommeroient de chacun costé deux bons et notables personnages, connoissans les langues grecque et latine, et expérimentez en la philosophie, et que nous élirions et nommerions un cinquiesme, pour visiter lesdits livres, ouïr lesdits de Govéa et Ramus en leur advis : suivant laquelle nostre ordonnance eust ledit de Govéa éleu et nommé maistres Pierre Danés et François à Vicomercato, et ledit Ramus maistre Jean Quentin, docteur en décret, et Jean de Beaumont, docteur en médecine; et nous pour le cinquiesme, eussions nommé et ordonné nostre cher et bien-aimé maistre Jean de Salignac, docteur en théologie : pardevant lesquels lesdits de Govéa et Ramus eussent esté ouïs en leurs disputes et débats, jusques à ce que pour interrompre l'affaire, iceluy Ramus se seroit porté pour appelant desdits censeurs; dont nous advertis eussions décerné nos lettres à nostre prévost de Paris, ou à son lieutenant, pour contraindre les-

dits de Govéa et Ramus à parfaire leurs disputes, afin que par lesdits censeurs nous fust donné ledit advis, nonobstant ledit appel et autres appellations quelconques : suivant lesquelles nos lettres, eussent lesdits de Govéa et Ramus derechef comparu par-devant lesdits censeurs, et voyant que par iceluy Ramus lesdits livres ne se pourroient soustenir, eust déclaré n'en vouloir plus disputer, et qu'il les soumettoit à la censure des dessus dits; et comme on y voulait procéder, lesdits de Quentin et Beaumont, l'un après l'autre, eussent déclaré ne s'en vouloir plus entremettre. Au moyen de quoi eust iceluy Ramus esté sommé et requis d'en élire et nommer deux autres (1). Ce qu'il n'eust voulu faire, et se fust du tout soumis aux trois autres dessus nommez (2), lesquels après avoir le tout veu et considéré eussent été d'advis (3) que ledit Ramus avoit esté téméraire, arrogant et impudent d'avoir reprouvé et condamné le train et art de logique receu de toutes les nations, que luy mesme ignoroit, et que parce qu'en son livre des Animad-

---

(1) Nullum suæ causæ defensorem, post Quintini et Bomontii secessum, Ramus sibi conciliare potuit : tanta erat in Academia Parisiensi Aristotelis auctoritas. Sic autem J. Carpentarius : « Interea vero tibi quæsivisti Jacobum Sylvium, ad defendendas pueriles in antiquitatem nugas : Aristotelis admiratorem. . . . qui ita respondit, facile ut cerneres eum non habere tantum otii, ut, etc. . . . Quare cum neminem reperires qui tuo nomine hanc molestiam devoraret, etc. . . . » Animadv. in dial. instit. P. Rami, fol. 12.

(2) « VII calend. arena omnino cedis, atque hæc tua manu in actuariis nostris describis : « Ramus, quia magna molestia judices videt affici, et magnam temporis jacturam propter edictum regium facit, cedit disputationi, et rem totam judicibus permittit. » J. Carpent., *Animadv. in Dial. instit. P. Rami*, fol. 13 rect.

(3) Vide supra, p. 22, note (2), trium arbitrorum sententiam.

versions il reprenoit Aristote, estoit évidemment connüe et manifeste son ignorance. Voire qu'il avoit mauvaise volonté, de tant qu'il blasmoit plusieurs choses qui sont bonnes et véritables, et mettoit sus à Aristote plusieurs choses à quoy il ne pensa oncques. Et en somme ne contenoit sondit livre des Animadversions que tous mensonges, et une manière de médire, tellement qu'il sembloit estre le grand bien et profit des lettres et sciences, que ledit livre fust du tout supprimé : semblablement l'autre dessus dit intitulé *Dialecticæ institutiones*, comme contenant aussi plusieurs choses fausses et étranges. Sçavoir faisons que veu par nous ledit advis, et eu sur ce autres advis et délibérations avec plusieurs sçavans et notables personnages estans lés nous, avons condamné, supprimé et aboly, condamnons, supprimons et abolissons lesdits deux livres, l'un *Institutiones dialecticæ*, l'autre *Aristotelicæ animadversiones*, et avons fait et faisons inhibitions et défenses à tous imprimeurs et libraires de notre royaume, pays, terres et seigneuries, et à tous nos autres sujets, de quelque estat ou conditions qu'ils soient, qu'ils n'ayent plus à imprimer ou faire imprimer lesdits livres, ne publier, vendre, ne débiter en nosdits royaume, pays, terres et seigneuries, sous peine de confiscation desdits livres, et de punition corporelle, soit qu'ils soient imprimez en iceux nos royaume, pays, terres et seigneuries ou autres lieux non estants de nostre obéyssance : et semblablement audit Ramus de ne plus lire lesdits livres, ne les faire écrire ou copier, publier, ne semer en aucune manière, ne lire en dialectique ne philosophie en quelque manière que ce soit, sans

notre expresse permission (1) : aussi de ne plus user de telles médisances et invectives contre Aristote (2), ne autres anciens autheurs recens et approuvez, ne contre nostredite fille l'Université et supposts d'icelle, sous les peines que dessus. Si donnons en mandement et commandons par ces présentes à nostre prévost de Paris, ou à son lieutenant, conservateur des privilèges par nous et nos prédécesseurs roys donnez et octroyez à nostré dite fille l'Université, que nostre présent jugement et ordonnance il mette ou fasse mettre à deüe et entière exécution, selon sa forme et teneur, et à ce faire souffrir et obéyr, contraigne et fasse contraindre tous ceux qu'il appartiendra, et pour ce feront contraindre par toutes voyes et manières deües et raisonnables, nonobstant oppositions et appellations quelconques, pour lesquelles ne voulons estre différé. Et pour ce qu'il est besoin de faire notifier nos dites défenses en plusieurs lieux de nostre royaume, terres et seigneuries, afin de les faire observer; nous voulons qu'au vidimus d'icelles fait sous scel royal, ou signé par collation par l'un de nos amez et féaux notaires ou secretaires, soit adjoustée foy comme au présent original. Mandons en outre à tous nos autres justiciers, officiers, et à chacun d'eux si comme il lui appartiendra, que nos dites défenses

---

(1) Edictum illud Carpentarius laudat; imo pene miratur, quod tam levi pœna rex contentus fuerit : « Homini, inquit, loquacissimo, qui præ se ferebat tam multa indicia mentis non sanæ, debebatur perpetuum silentium. . . . Imo vero tibi, amentiæ præceptori, perpetuum exilium jure debebatur. Nec video cur illud in tuos libros decretum tantopere doleas, etc.» *Animadv. in P. Ramum*, fol. 13 v.

(2) Quis, talia legendo, risum teneat? Non magis deridiculam tractavit materiam Boileau in opusculo cui titulus est : *Arrêt burlesque*, etc.

et injonctions ils fassent observer, en procédant par eux contre les infractions d'icelles, si aucuns en y a, par les peines cy-dessus indites et autres, qu'ils verront estre à faire par raison. En temoin de ce nous avons fait mettre nostre seel à ces dites presentes.

« Donné à Paris le 10 jour de may (1), l'an de grâce 1543 (1544), et de nostre règne le trentiesme (2). »

Quum igitur pro Aristotele non universitas tantum sed ipse rex dimicaret, tanta potestate Ramus, si non domitus, at certe oppressus fuit. Quæ autem et quanta fuerit Aristoteleorum lætitia haud facile verbis exprimi potest. Sed hic etiam Talæum parumper audiamus : « Constricta itaque lingua, vinctis manibus, cum sic afflictus Ramus teneretur, ut Aristoteleis vel impune discerpere liceret, Ramo contra ne mutire quidem liceret, triumphus de tam nobili victoria mirificus agitur. Tristis illa et horrenda triumvirum sententia impressis et latina et gallica oratione libellis, non modo per hujus urbis compita, sed per orbis terrarum loca omnia, quo exspectari (exportari?) potuit, promulgatur. Ludi magno apparatu celebran-

---

(1) Duo alii dies iisdem literis apud scriptores nonnullos assignantur, nempe dies 19 mart. et 30 maii (Du Boulay, *Hist. univ. Paris*, t. VI, p. 389, 395), quæ quidem differentiæ explicari possunt per varios inscriptionis dies, tum in Parisiensi senatu, tum in libro Rectorio. Sic autem conjicio : datas esse literas a rege die 19 martii, acceptas autem et admissas a curia die 10 maii; die vero 30 ejusdem mensis ni Universitatis actuario libro inscriptas fuisse, nisi forte Du Boulay male scripserit 30 pro 10 : eamdem enim narrationem ante illum retulerat de Launoi, sine illa dierum diversitate.

(2) Has Francisci regis literas apud plurimos auctores legere est, inter quos notandi sunt : Jac. Carpentarius, Ad Exposit. de methodo, etc.; La Croix du Maine, ibid.; J. de Launoy, De varia Arist. fort., p. 102 sqq.; Niceron, t. XIII; Du Boulay, l. c.

tur, ubi spectantibus et plaudentibus Aristoteleis, omni ludibrii et convicii genere Ramus afficitur. Quid reliqua his indigniora commemorem? quæ tametsi verissima sunt et memoria recenti tenentur, ita sunt ab honestis studiis aliena, ut verear ne iis etiam qui interfuerint et viderint res tam incredibilis non facta sed ficta esse videatur... Plurima enim prætereo quæ sine certorum hominum (1) infamia commemorari non possunt, atque hæc pauca idcirco commemoro.... ut omnes intelligant... quam formidabilis et iracunda Aristoteleorum logica sit, quæ talibus argumentis adversarium persequatur (2). »

Hæc Talæus, merita quidem percitus indignatione, exclamat. Nobis autem non adeo indignari, imo ne admirari quidem licet, quibus compertum sit ad multo pejora facinora Aristoteleorum iracundiam grassatam fuisse, multoque magis horrenda. Quanquam sane incredibilia audivimus, et quæ minime literarum rempublicam deceant. Sed, ut bona omnia, ita libertas ipsa humano generi, non sine maximis laboribus comparanda erat. Hoc inter alios permultos Ramus noster expertus est, *non sine stomacho*, ut ait Talæus : quum enim esset valde iracundus (3), inde intelligi potest quam difficile ei fuerit indignationem

(1) Præter plerosque theologicæ facultatis doctores, suspicor inter istos homines quorum nomina silere Talæus voluit, fuisse P. Gallandium, Ant. Goveanum, Joach. Perionium, ac præsertim Petrum Castellanum, regis confessorem et eleemosynarium : quibus Bruckerus, mutato tempore, Jac. Carpentarium immerito adjecit (Hist. crit. phil., per. II, part. II, l. II, c. 1, § V sub fin).

(2) Audom. Talæus, in Academia, ad Carolum Lotharingum cardinalem. Cf. Rami Defension. pro Arist. adversus Schegkium, in epilogo.

(3) Nancel. ibid., p. 59, 60.

suam continere, in tanta adversariorum lætitia, dum ei interdiceretur omni tum scriptionis tum præceptionis genere, vinctaque lingua ad perpetuam adigeretur ἐχεμυθίαν.

Quin etiam, si P. Gallandio, Rami inimico, fides adhibetur, gravius aliquid philosopho nostro tantum non accidit, nempe ut consimili atque nequissimi latrones pœna affectus triremibus addiceretur. His autem verbis rem prorsus inauditam Gallandius in *P. Castellani vita*, explicat : « Cum in hac schola ante annos octo sophista famosus musis iratis natus, gloriæ popularis siti inexplebili præceps, Aristotele, Cicerone et Quintiliano petulanter et ignoranter vexatis, nullum finem in quemvis auctorem classicum debacchandi facturus videretur, priusquam præsentem literarum statum labefactasset, atque ad suam libidinem pervertisset, permulti doctrina ac virtute conspicui homines audaciam tam prodigiosam indignissime tulerunt. Cumque de eo apud regem ita conquesti essent, ut ille pro sua perpetua in literas et literarum professores benevolentia hunc indignabundus ad remum damnatum triremibus addicere statueret, regis animum faceti leporis suavitate emollitum ad sententiam mitiorem Castellanus traduxit. Sophistam nugantem et inepte philosophantem ab humanissimo rege nullo capitali supplicio puniendum esse; verum cum doctis hominibus coram gravibus disceptatoribus, in disputationis certamen commissum, argumentis convincendum, et ratione aliqua graviore ad sanitatem reducendum. Quorum sententia cum illum rex inscitiæ, impudentiæ et temeritatis damnatum, silentiique pœna multatum vidisset,

facile acquievit, neque acerbius quidquam in eum statuit (1). » At, ut nobis videtur, acerba satis superque fortuna usus est Ramus; quam æquo tulit animo, unam hanc retinens Horatianam consolationem :

> Inter spem curamque, timores inter et iras,
> Omnem crede diem tibi diluxisse supremum :
> Grata superveniet, quæ non sperabitur hora (2).

Silentium tamen non adeo Pythagoricum videtur observasse. Quod enim quidam asseverant, Ramum usque ad annum 1547 omnino mutum fuisse (3), id certe confictum est, ut ex ipsius scriptis apparet. Anno enim 1544-1545, in Mariano collegio, Aud. Talæo et Bartholomæo sociis ut antea usus, mathematicas artes simul cum eloquentia professus est, ut testis est *Oratio* publice habita ab ipso Ramo, pridie nonas novembris 1544, eodemque anno typis excussa (4) : in qua postquam de sua professione locutus

---

(1) Galland., l. c., n. 45, p. 75 sq. Hanc narrationem mendacii insimulat Bayle (ibid., not. D). Bruckero autem (period. III, p. 2, l. II, c. 1) non ex toto conficta videtur. Quæ vero Gallandius refert, nos cum Bruckero putamus « de consiliis inimicorum Rami esse intelligenda, qui percupivissent eum ad remos potius quam in cathedra sedentem videre : quæ cum regi essent patefacta, obstitisse Castellanum inhumanis cogitationibus. »

(2) Horat. Epist. lib. I, 4. Vid. Tres orat. a P. Ramo, Aud. Talæo, etc., fol. 10 v.

(3) Bayle (l. c., not. L); Cf. Freig., l. c., p. 17.

(4) Vid. Catal. op. Rami. « Prima nobis ætas, inquit Ramus anno 1567, mathematicis studiis dedita fuit, et quinto abhinc ac vicesimo anno arithmeticam, sex primos Euclidis libros, sphæram in Mariano gymnasio publice docui. » Schol. mathem., l. II, init. Cf. Epist. Rami ad Carol. Loth, febr. 1544 (1545), latino Euclidi præmiss. et Act. sec. Math. contra Carpent.; — Cf. etiam Theoph. Banos., secundum quem Ramus sex primos Euclidis libros vel in Cenomano colleg. legerat.

esset, quædam etiam ad suas calamitates alludit (1). Euclidis autem latinam versionem initio anni 1545 editam (2), Carolo Lotharingo dicavit, qui in acerbissimis temporibus unica illi levatio fuerat (3).

Interea cum atrox Lutetiæ pestis sæviisset (4), juvenesque studiosi Parisiensis Academiæ collegia deseruissent, gymnasiarcha quidam nomine Nicolaus Sapiens (sive Sapientus) Ramum sponte adiit, summisque precibus obtestatus est ut Prælleum gymnasium profitendo restauraret (5). Cujus petitioni obtemperans, illuc accessit Ramus anno 1545 (6), et occasione arrepta philosophandi, Ciceronis *Somnium Scipionis* publicis prælectionibus ac commentariis ita illustravit, ut brevi tempore loci solitudo in magnam juventutis frequentiam sit commutata (7). Nec tamen

(1) « De philosophia, inquit, sinite me... dolorem meum potius quam vestrum silentio præterire, Horatianumque illud levandi consolandique animi gratia in memoriam revocare, *Inter spem curamque*, etc... Mathematicas artes animis (*quorum sunt liberæ cogitationes*) intueamur. » *Tres orat.*, etc., fol. 10, 11.

(2) Schol. Math., l. c.: « Extat ex illo etiam tempore latinus Euclides epistola nostra commendatus. » Vid. Catal. op. Rami.

(3) Freig., l. c., p. 17. Cf. Rami Orat. habit. ann. 1551.

(4) Ann. 1544. Du Boulay, t. VI, p. 397.

(5) Theoph. Banos., p. 9; — Nancel., p. 13, 17 sqq. De Prælleo gymnasio pauca infra dicam.

(6) Quanquam aliter dicere videntur Th. Banos., p. 9, et Nancel., p. 18, annumque 1544 indicare, ipsius tamen Rami scripta nonnulla satis aperte demonstrant eum anno 1545 in Prælleam scholam devenisse : nempe Orat. habit. in Prælleo gymn., decembr. ann. 1545; tum Epistola sive præfatio præmissa Prælectionibus in Ciceronis Somnium Scipionis, ann. 1546 (Vid. Catal. op. Rami). — « Cum in Prælleam scholam venisset, ludos exhibuit populo, ut tum moris erat Lutetiæ gymnasiis (a quo postea plurimum abhorruit), tragœdiam comœdiamque recitandam proposuit. » Nancel., p. 15.

(7) Th. Banos., ibid.; Nancel., l. c. De Prælect. in Somn. Scipionis, Vid. Cat. op. Rami.

diu ibi securus quievit. Nam cum Ramus ita cum Nic. Sapiente (1) pactus esset, ut primarias sub ejus auspiciis partes obiret, velut alter gymnasiarcha, Sorbonistæ, qui Ramo infensissimi erant, conquesti sunt *senem de ponte dejici* (2), Sapientemque clanculum hortati sunt ut Ramum foras expelleret; sed quum res ad senatum Parisiensem delata esset, causa in judicio cognita, summæ curiæ decreto Ramus Prællei gymnasiarcha et præcipuus moderator confirmatus est : neque propterea cum adversario jure suo usus est, sed concordia certis conditionibus inita, Sapiens cum Ramo in iisdem ædibus fraterne vixit et post annos complusculos mortuus est (3). Prælleum autem illud gymnasium Ramo fuit domicilium sedesque ad ultimum usque vitæ spiritum; quod quidem ad Carmelitas situm, haud procul a platea dicta Malbertina, fundatum fuerat (anno 1314) ab homine prædivite, advocato vel procuratore regio, nomine Raoldo de Prællis, ex agro Laudunensi in Picardia. Ex cujus prima institutione duodecim ibi pueri alumni ad ingenuas artes informabantur (4).

---

(1) Cujus hominis ea erat valetudo, ut suo munere nequaquam fungi posset. Tunc enim erat, teste Nancelio (l. c., p. 18), « homo jam grandævus, et ex catarrho, paralysi alterutrius lateris correptus ac resolutus, ut nec incedere, nec libere fari aut eloqui posset. » Cf. Banos., l. c., p. 9.

(2) Nancel., ibid. Hoc idem decem abhinc annis Carpentarius Ramo objicit : « Utinam, inquit, iisdem artibus tu ad eum scholæ tuæ principatum pervenisses, quem perversa quæstus et gloriæ exspectatione animo conceperas : non tanta cum impietate parentem fortunarum tuarum sexagenarium de ponte dejecisses. » Animadv. adv. P. Ramum, 1555, fol. 4 v. Cf. Carpentarii Respons. ad Exposit. de methodo, etc, fol. 3 v.

(3) Nancel., ibid.; Banos, p. 9, 10.

(4) Nancel., ibid., p. 15, 17, 18; Du Boulay, Hist. univ. Paris., t. IV, p. 167; Felibian., Hist. de la ville de Paris, t. I, p. 526; p. 668 ad ann. 1365; p. 671.

Quo vero tempore Ramus illuc accessit, vix credibile est quantum præ ceteris schola illa florere cœperit. « Hoc autem ausim (ait Nancelius, Rami in ea ipsa schola per viginti annos discipulus et comes) vere et libere profiteri, nullum fuisse tunc temporis Lutetiæ gymnasium majori auditorum frequentia celebratum, nullum accuratiore doctrinæ genere excultum (1). » Non tamen solus Ramus munere suo fungebatur; sed Aud. Talæus, quum aliquando in Bellovaca schola docuisset, suo se Ramo iterum adjunxit socium, docendoque ac prælegendo, mirifice profecit (2). Bartholomæus autem Alexander a sodalitio divulsus, novam quasi coloniam ad Rhemos transtulerat, instituta ibi recens per Carolum Lotharingum, archiepiscopum Rhemensem, Academia (3).

Ramus igitur cum Talæo suo, ad pristinum propositum redire ausus, literas græcas simul et latinas, eloquentiamque et philosophiam docere iterum cœpit. Tum Quintilianum perscrutari, expendere, imo aliquando vellicare; Ciceronem ipsum libere animadversionibus premere, probantibus quidem multis conatus audaces, nonnullis autem livore æstuantibus, atque ante judices et magistratus indignantibus quod in auctores bonæ notæ inquireret liberius (4). At ille nihilominus eloquentiæ philosophiæque studia conjungenda esse constanter professus, publicam de

---

(1) Nancel., p. 19.

(2) Id., p. 15, 19.

(3) Id., p. 15; De Rhemensis Universitatis origine, vid. De Thou, l. VI, c. 6, ad ann. 1549; Du Boulay, Hist. univ. Paris., t. VI, p. 461, ad ann. 1553.

(4) Nancel., p. 14.

ea conjunctione *Orationem* habuit anno 1546 (1). Sed quum a philosophica professione regii decreti causa abstineret, ita profitendi munus cum Talæo *fratre* divisit, ut pomeridianis horis ipse eloquentiam, Talæus matutinis horis philosophiam doceret; omniaque deinde consecuta tempora in illo studio posuit, et in poetis, oratoribus, omnisque generis auctoribus publice explicandis, usum dialecticæ quantumcumque acerrimis ac perpetuis vigiliis assequi potuit, tantum docuit et demonstravit (2).

Illo autem anno 1546-1547 (3) turbatus vexatusque est dialecticæ methodi causa, ut ipse memorat in *Oratione pro philosophica disciplina*, ubi gratias agit *bono suo genio*, id est Carolo Lotharingo cardinali, qui tunc aderat in senatu, quique Ramum illo ipso anno 1546 auxilio suo adjuverat donec eum miseriis omnibus liberaret. Sed nunquam invidia adversariorum omnino caruit; imo vero eam magis ac magis acrem in dies expertus est, quanquam speciem aliquam tranquillitatis nactus anno 1547, post Francisci I mortem (4).

---

(1) Vid. infra Catal. op. Rami. Suum videlicet propositum, vel post regium edictum, Ramus minime dereliquerat; imo vel in Orat. habita ann. 1544 (fol. 16 rect.), eloquentiæ sapientiæque studia conjungenda sociandaque esse publice asseverabat.

(2) Freig., l. c., p. 18. Bayle ad hunc locum Freigium erroris insimulat, sed immerito : nam graviter ipse erravit, quum Ramum anno 1546 de eloq. et phil. studiis conjungendis orationem habuisse negaverit; quanquam Freigius hujus orationis nonnisi post restitutam Ramo philosophandi libertatem mentionem facit, quod cum vero temporum ordine parum congruere perspicue demonstrat Bayle (l. c., not. H.).

(3) Du Boulay, Hist. univ. Paris., ad ann. 1546, t. VI, p. 399: « Iis rectoribus actum *sæpe*.... de variis conquestionibus primariorum et professorum, præsertim adversus P. Ramum, turbatorem collegii Prællei. »

(4) Die 31 mart. 1547 mortuus est Franciscus I, rex literarum amantis

Tunc enim idem Carolus Lotharingus (1) Henricum II regem adiit admonuitque omni tempore in philosophia liberum cuique fuisse pro quo et contra quem vellet dicere, philosophiamque aliter absolvi non posse; Platonem, Aristotelem, deincepsque alios, donec philosophiæ vera studia viguerunt, eamdem libertatem secutos esse. Itaque referente Carolo Lotharingo et causam agente, Ramus ab Henrico rege in libertatem restitutus, manibus linguaque solutus (2), et quatuor annos postea pacatis studiis usus est (3); pacatis, inquam, si cum reliqua agitatissimi viri vita conferas, non tamen omni sollicitudine vacuis. Scilicet anno 1548 mense julio et pluries deinceps (4), orto tumultu in Prato Clericorum inter scholastrios et monachos San-Germano-Pratenses, Ramus inter alios contra monachos orationes habuit, pro Universitatis et scholasticorum

---

simus, « vel hoc uno, inquit ipse Ramus in præfat Procemii Math., bonarum artium ac literarum amore a Francis Magnus cognominatus. »

(1) Cujus quantus fuerit apud Henricum II favor, testis est Brantomius, quum hosce versus referat (H. illustr., Disc. 66):

Sire, si vous laissez, comme *Charles* désire,
Comme Diane fait, par trop vous gouverner,
Fondre, pestrir, mollir, refondre, retourner;
Sire, vous n'estes plus, vous n'estes plus que cire.

« Il entend par ce *Charles* le cardinal de Lorraine. » Cf. De Thou, *Hist. sui temp.*, l. VI, c. 6, ad ann. 1550.

(2) « Il obtint de Henri II *la main-levée de sa plume et de sa langue*, » inquit Bayle (art. *Ramus*). Ad regis Henrici placitum accessit senatus sententia: « Parisiensis senatus universus sanctissimo judicio constituerat, ut in pristinum statum restitueretur, integrumque ei esset.... libere philosophari. » Banos., l. c., p. 10.

(3) Freig., l. c., p. 17. Cf. Rami Orat. pro phil. disciplina.

(4) Du Boulay, Hist. univ. Paris., t. VI, p. 406, 407, 434, 435, etc. Cf. De Thou, l. V, c. 6, ad ann. 1548. Felib., l. c., p. 1025.

jure ; atque etiam si cuidam historico fides adhibetur, seditionem ante omnes movit (1) : quod vix credam, quum hoc loco *Historiæ univ. Paris.* Rami nulla facta sit mentio ; sed illum rei quodam modo participem fuisse constat.

Interea Platonis *Epistolas*, Ciceronis *Orationes*, Quintiliani quoque *Institutiones oratorias* summa diligentia, commentariis, et, ut solitus erat, animadversionibus illustrare conabatur : unde ortæ sunt Platonis *Epistolæ latinæ factæ*, *Brutinæ quæstiones* ac *Rhetoricæ distinctiones in Quintilianum*, anno 1549 in lucem editæ (2).

Quartus autem annus agebatur, ex quo rescissum fuerat primum Aristoteleorum judicium, quum, Aristotelis nomine, novus quidam philosopho nostro inimicus multoque magis reformidandus exsurgit Jacobus ille Carpentarius, qui, quum nimia famæ cupiditate laboraret, propositum suum per fas et nefas assecutus, exsecrandum æternæ memoriæ nomen tradidit. Quod si quis forte Ramum et Carpentarium pari invidia mutuoque odio instinctos fuisse existimaverit, suum ipse errorem brevi agnoscet, si vel minime utriusque indolem, mores et vitam comparaverit. Respiciat saltem ad nostri philosophi fortunam tot tamque acerbis casibus afflictam ; hunc ipsum respiciat, quum ab inaudita persecutione vix respirare cœpisset, nullius sibi culpæ conscium, ab illo autem juvene superbius vexatum : qui quidem, fortuna pecuniaque sua fretus, recto-

---

(1) Jac. Bouillart, Hist. de l'abb. roy. de Saint-Germain-des-Prez, etc. Paris, 1724, in-fol., p. 185. Cf. Felib, l. c.

(2) Vid. infra Catal. op. Rami.

ratum Universitatis ea ætate adeptus est, qua Ramus, vixdum a servo liber summo cum labore factus, non honores quidem sed veram famam vigiliis ac prælectionibus sibi parare conaretur. At ille quam acriter tunc temporis Ramum nec opinantem oppugnaverit, ex Freigii narratione repetere operæ pretium erit.

« Adolescentulus audax, magnæ dignitatis insignibus et viribus elatus et superbus (1),..... Ramum confictis et commentitiis criminibus accusat, quod in philosophiæ studio non philosophos, sed contra Academiæ leges poetas doceret. Primum huic accusatori, *alienæ libidinis ministro* (2), supplicat (quia sibi vehementer suspectus esset) ne, dum causa disceptaretur, sententiam de se diceret, neve idem causæ et accusator et disceptator esse vellet. Reliquis deinde ceterorum ordinum hominibus hæc crimina ficta et falsa esse respondet, legesque Academiæ a se observari confirmat, rogatque ut gymnasium suum Prælleum per probos et doctos homines invisatur, et de sua disciplina quæratur, ut falso crimine se accusatum esse constaret, et si quid a se humanitus offensum esset, ut se non modo non repugnante sed optante emendaretur. Hoc die nihil amplius actum est. Postridie..... judex ille..... (et certi homines)..... discipulos Rami, nulla disquisitione prius habita, indicta causa, nulla judicii

---

(1) Cf. Du Boulay, t. VI, p. 439. Carpentarius rector Paris. Universitatis factus fuerat die 16 dec. 1550, fuitque in ea dignitate usque ad 24 mart. 1551.

(2) Haud habeo compertum quis Carpentarium primo adversus Ramum impulerit, nisi forte fuerit *malus* ille *genius* de quo passim Freigius, secundum Orat. pro philos. discipl. Ceterum cum Carpentarius compluribus theologis familiariter uteretur, atque Gallandii alumnus fuisset, suspectus jure esse potuit.

forma, in suo privato cubiculo condemnat, publicis et scholis et sigillis et tabulis prohibet, omnibus denique Academiæ muneribus et præmiis excludit et ejicit. Ab hac sententia tam nova discipuli Rami provocant. Res provocatione ex privato judicio in Julianense philosophorum comitium deducitur. Illic duo capita deliberationis fuerunt, alterum de philosophici curriculi tempore, alterum de libris : de quo utroque nulla erat dissensio. Itaque (credo quod minor in sacro loco nocendi vis malis geniis inesset) una omnium philosophorum voce discipuli Rami absolvuntur, dummodo præceptor eorum jurejurando confirmaret libros Academiæ legibus definitos a se prælectos esse. Id jurejurando per eum confirmatur. Sed tamen paulo post contra Julianense decretum, novis machinis in eodem illo domestico et familiari accusatoris et damnatoris conciliabulo, non discipuli, ut antea, sed magistri eorum (1) oppugnantur. Accusator enim per fraudem et falsam relationem duobus publicæ deliberationis capitibus de suo tertium addit, de forma legendi (2); Ramusque hac supposititia relatione, quasi

---

(1) Inter quos nominandi sunt præter Ramum ipsum, Aud. Talæus et Nicolaus Charton, cujus Oratio in logicam ann. 1551 cum ipsius Rami Orat. edita est. Vid. Catal. op. Rami.

(2) Fuit enim hoc præcipuum accusationis defensionisque caput, ut ex Hist. univ. Paris. colligere licet : « Quo rectore (Jac. Carpentario, præceptore Becodiano).... comitiis pluribus actum *sæpe* de causa P. Rami qui, contra statuta Universitatis, philosophicis tractatibus poetas et oratores admisceri oportere contendebat. Ad diem 15 jan. (1551) sic legitur in registr. Facultatis Medicinæ : « Die 15 jan. convocata fuit Universitas super controversia inter D. rectorem pro Universitate et *Petrum Ramum Universitatis hostem.* Ubi eleganter et copiose disputatum est a D. rectore Charpentier et probatum non esse legendos poetas et oratores simul cum Aristotele et aliis philosophis in curriculo artium, secundum statuta et

legitimam legendi formam violasset, tristi quodam supplicis traductionis genere damnatur, ut in publicis scholis disciplinam suam ipse detestetur et abneget, in posterumque jurejurando nil tale facturum esse confirmet. Ad discipulorum perfugium confugit et una provocat. Causa igitur ad superiores Academiæ ordines secunda provocatione deducitur. Hic cum ipsi evitandi tumultus causa, absentes ex scripto causam dixissent, et accusator et accusatoris ministri,..... quamvis duabus appellationibus exclusi, tamen tertio judicant et condemnant. Medici non liquere respondent, jureconsulti scholas aperiri jubent, nec quidquam tot appellationibus interpositis adhuc pendentibus innovandum censent. Primo theologi quidam accusatori assentiuntur; deinde tamen ad consilium delectorum judicum, qui amplius cognoscant, remittunt. Accusator igitur tam turbulentis tamque implicatis hominum sententiis elatus, tertiæ damnationis occasionem arripit: a qua cum ad delectos judices venissent, priores appellationes secuti et discipuli et magistri provocant, et quarto supplicant, ne accusator qui ipsos toties et accusasset et tam iracunde damnasset, et tot appellationibus ipsorum rejectus, nullum sibi in causa ipsorum judicii locum reliquisset, in posterum de ipsis judicaret. Quod quum Ramo

---

reformationem Universitatis. Contra asserente Ramo eloquentiæ studia simul cum philosophia esse conjungenda; tandem propter tumultum qui certe exoriri videbatur, et propemodum ad rixam spectare, conclusum fuit quod de ea controversia sex a singulis facultatibus deputati judicarent, etc. » Carpentarius, ut theologis placeret, Ramum *Academicum* nominabat, eumque divinarum rerum hostem et inimicum esse contendebat, qui lubricos divi Augustini locos suis auditoribus ad effrænatam et impiam libertatem proponeret. Vid. Orat. Rami pro phil. disciplina.

et ipse et ejus emissarii quidam denegarent, ad illud oppressorum commune perfugium (id est senatum Parisiensem) confugerunt : a tanta violentia postremum magistri discipulique provocarunt. Ad diem XV igitur cal. martii (1) cum provocationis (in qua delitiscere Ramus cogitabat) diem accusator antevertisset et ad XIII denuntiasset, coactus est, quasi Annibal esset ad portas, aut de Pyrrhi pace ageretur, subito in senatum venire. Collegit itaque pro tam brevi tempore quæ ipsi occurrebant; eaque postea publice edidit (2). Sed hic quoque Carolus Lotharingus, tanquam salutare sidus, in ea tempestate affulsit (3). » Cui cum compertum fuerit Ramum a privatis inimicis sine legitima causa opprimi, illi fortiter opem tulit. Scilicet postquam in proximum diem causæ disceptationem a senatus præside postulavisset, die dicta, « judex (4) in foro tres fere perpetuas horas consedit, et Christophorum Toutæum (5) appellationis Rameæ partes eleganter et ornate defendentem..... auscultavit, tandemque cum senatu universo censuit, primum, ut discipuli Rami in pristinum et integrum statum restituerentur;

(1) Vid. præfationem Orationis Rami pro philosophica disciplina.

(2) Vid. infra Catal. op. Rami.

(3) Freigius in vita Rami, p. 18 sqq. Cf. Rami Orat. pro philosophica Paris. Acad. disciplina et Orat. init. prof. suæ habit. Hanc Freigii vel potius Rami narrationem confirmat Jac. Carpentarius : « Rector designatus, inquit,... illud contra te sæpe disputavi, non modo apud Academiæ ordines, sed apud illustriss. cardinalem et principem Lotharingum. » Carpent. Animadv. in P. Ramum, fol. 5 rect. Ejusd. Respons. ad Exposit. de methodo, fol. 4 v.

(4) Nempe, ut ex hoc loco conjicere licet, archiepiscopus Rhemensis in summa curia judex sedebat.

(5) Christoph. Toutæus (de Thou), ann. 1562-1582, summus præses senatus fuit, eique Ramus ann. 1566 actiones duas mathematicas dicavit, quas in senatu contra Jac. Carpentarium habuerat.

deinde, quod ad disciplinam attinet, ut dierum ordinariorum præcipuis horis philosophia perlegeretur, eamque prælectionem poetarum et oratorum exemplis illustrare reliquis eorumdem dierum non præcipuis horis, itemque totis diebus extraordinariis ac festis, poetas ac oratores, omnesque eloquentes auctores, pro philosophiæ quæ tum tractaretur genere, prælegere liceret (1). »

Hæc fuit prima illa actio a Carpentario adversus Ramum habita : quam totam hic legendam proposuimus, ut a talibus initiis nequissimi hominis furores solertemque animum quisque disceret. Res tamen alium quam speraverat exitum habuit. Quum enim ex hoc certamine Ramus victor discessisset, juvante cardinale Lotharingo, splendidum paulo post laborum præmium adeptus est. Scilicet ad sextum calendarum Augusti, anno Christi 1551, ætatis tricesimo sexto (2), quum Blesiis Carolus Lotharingus disciplinæ Rameæ causam ad Henricum regem retulisset, regi placuit ut in numero atque ordine regiorum professorum esset, atque ex instituto suæ disciplinæ eloquentiam simul philosophiamque doceret, cujus

---

(1) Freigius, *ibid.*, p. 21. His autem dictis subjicit Freigius : « Improbissime mentitus est, qui iis contraria impudentissime prædicavit. » Nescio an ille mendax historicus fuerit ipse Carpentarius : hoc tamen vehementer suspicor. Sententiam enim senatus aliter interpretatur ac Freigius *Reg. medic.*, in quo legitur, ad diem 13 april. 1551 post Pascha : « Datum est *arrestum* contra P. Ramum, quo cogitur servare statuta Universitatis, contra multorum opinionem, quoniam prædicto Ramo maxime favebat cardinalis Lotharingiæ, qui tum præsens erat in senatu, cum lis acta est. *Sed veritas vicit.* » Du Boulay, t. VI, p. 439. Cf. Carpentarii Animadv. in dial. inst. P. Rami, fol. 4, 5, et Respons. ad Exposit. de methodo, fol. 4 v.

(2) Freig., l. c., p. 21 ; Banos., p 10.

rei Ramum per epistolam honorificis verbis conscriptam certiorem fecit (1). Regius igitur eloquentiæ philosophiæque professor maximo pene totius Academiæ Parisiensis voto applausuque instituitur Ramus, paucorum hominum frustra refragante ac fremente invidia (2). Dies habendæ orationis publicæ indicitur : fit concursus Academiæ totius ad oratorem disertissimum audiendum : tota curia, totus clerus eodem effunditur; locus licet amplissimus aulæ Cameracensis (3) multitudinem auditorum non capit; multi abeunt nequaquam audito quem audire percupiebant; denique, secundum ipsius Rami verba, orationem suam ad Carolum Lotharingum mittentis (4), professionis suæ præfationem in tanta hominum frequentia habuit, « ut non modo de concione permulti pene exanimati subducti sint, sed ipsum oratorem ex tam multiplici tamque denso spiritu halituque orta ravis propemodum oppresserit. Itaque (inquit) leges nonnulla, quæ duo millia hominum laudem tuæ virtutis audientium non audivere (5). »

Hoc fuit initium regiæ professionis, præclarum certe : at magis præclarâ fuit ipsa professio, qua brevi tempore collegas suos omnes supereminuit. Regium autem collegium Rami philosophiæ ac methodo sanctissimum per complures annos perfugium fuit,

(1) Orat. init. profess. suæ habit., ann. 1551.

(2) Banos., ibid.; Nancel., p. 20; Sammarth. Elog., l. II, art. Ramus; Theod. Zuinger., Theatr. hum. vitæ, vol. XX, lib. III, p. 3697, col. b.

(3) De colleg. Cameracensi vid. Felib., ibid., t. I, p. 602; Du Boulay, t. IV, p. 319, ad ann. 1348.

(4) Vid. Catal. op. Rami.

(5) Vid. Epist. quæ præfixa est Orat. init. prof. suæ habit. 1551. Cf. Nancel., l. c., p. 20.

vel quum in Prælleo gymnasio eadem disciplina judiciis lacesseretur. Prælleus enim gymnasiarcha ab Universitate, regius autem professor a rege pendebat (1). Quod quidem bene sensit noster philosophus, quippe qui maximas easdemque frequentes Deo opt. maximo gratias, ob restitutam sibi atque confirmatam libertatem, egerit, ut ex multis ipsius scriptis manifestum est (2).

Itaque regius eloquentiæ et bonarum artium professor designatus, totum se reipublicæ literariæ commodis devovit, eo quidem labore ac felicitate, ut æquales suos omnes tum auditorum frequentia, tum eloquentiæ fama longissime anteiret, « præsertim (ait Scœvola Sammarthanus, qui Rami auditor fuit) si quando plenis subselliis magna oris et sermonis dignitate Ciceronem aut alios latinæ linguæ proceres interpretaretur (3). » A Cicerone docendi initium cepit, cujus orationes explicare aggressus est : quo in genere facile primas omnium tenebat (4). Sed

---

(1) De regio collegio, vid. ante omnes doctissimum Goujet, Mém. hist. et littéraire sur le coll. royal; deinde Pasquier, Rech. de la France, l. IX, cap. XVIII; De Thou, Hist., l. III, cap. III; Felib., Hist. de la ville de Paris, lib. XIX, t. II, p. 986-987; Du Boulay, Hist. univ. Paris., t. VI, ad ann. 1530, et Catalog. octavi seculi.

(2) Hos autem versus sæpe decantabat teste Theoph. Bonosio (p. 10, 11):

> Committe vitam, rem, decus
> Dei unius arbitrio :
> Animi tibi ex sententia
> Confecta reddet omnia.
> Illustris auroræ ut jubar
> Tua faciet ut sit æquitas,
> Ut luce virtus sit tua
> Meridiana clarior.

(3) Sammarth. Elog., lib. II, in Rami elog.

(4) Nancel., p. 20, 21.

dicendum est nobis, quæ et qualis regia illa professio, quave de materia fuerit. Hic ipsum aliquando audiamus, narrantem qua mente profitendi munus susceperit.

« Cum regius artium liberalium professor institutus essem, persuasi mihi me a rege in præstantissima reipublicæ parte administranda collocatum esse, diesque et noctes modis omnibus vigilandum, providendum, enitendum putavi, ne tanto tantæque sollicitudinis et curationis oneri succumberem. Pondus grave et difficultas magna erat proposita : sed amor, quicquid fieri posset, facile quoque persuadebat esse (1). . . . . . Laboris igitur nostri longiores tractus mente præcipiens, omnium omnino viarum ducem unum imprimis *usum* ante oculos mihi proposui, unde postea artis cujusque et veritas et utilitas appareret (2). » Scilicet, quum eumdem in singulis artibus logicæ facultatis usum esse philosophus noster arbitraretur, hoc in animo habebat, ut hunc usum in unaquaque liberalium artium demonstraret, in ἐξωτερικοῖς primum, ut ipse ait, nempe in grammatica, rhetorica, dialectica etiam, deinde in ἀκροαματικοῖς, scilicet in mathematicis, physicis, metaphysicis, ethicisque artibus (3). Nullam vero disciplinam attigit, quin eam reformare sibi propositum habuerit : unde nonnullas eadem illa inimico-

(1) Quum hanc in profitendi munere dignitatem positam esse Ramus persuasum haberet, nihil est mirum quod Steph. Pasquier de eo dixerit (Rech. de la France, l. IX, c. 20) : « Ramus, en enseignant la jeunesse, estoit un homme d'estat. »

(2) Orat. de sua profess. habit., ann. 1563.

(3) Ibid.

rum invidia occasiones in eum inquirendi arripuit. Sorbonistis autem ante alios hostibus eo magis tota vita usus est, quo major erat istorum hominum ignorantia ac pertinacia; quam nobis vel ab unico exemplo agnovisse licebit.

Sub annum 1551 (1), cum professores regii Lutetiæ sinceriorem latinæ linguæ pronuntiationem sensim introducere cœpissent, moleste ferebant cum alii, tum Sorbonici inveteratam loquendi consuetudinem Gallorum improbari : ut *quæ imberbes didicissent, senes perdenda fateri* cogerentur, sicuti Horatius inquit. Imprimis vero de sono ipsius *q* literæ ambigebatur, regiis professoribus cum sequente *u* pronuntiantibus, *quisquis*, *quanquam*, *quantus*, Sorbonicis vero, consuedine vernacula, *kiskis*, *kankam*, *kantus*; quos quidem et similes quosdam alios *gottismos*, ut *michi* pro *mihi*, a vero usu prorsus alienos esse Ramus contendebat (2). Jam cum sacris addictum hominem, ob genuinam pronuntiationem, amplissimis proventibus Sorbonici spoliandum curassent, et lite coram senatu Parisiensi contestata, ne miser ille ob grammaticam hæresin (ut illi vocabant) theologicis fructibus jure excideret, periculum esset; professores regii et inter hos Ramus, facto agmine in curiam convolant, et judicii insolentiam præfati, quod jureconsulti de legibus regiis disputare soliti, ad grammaticorum leges dijudicandas sese demisissent, judices ita commove-

(1) Theod. Zuingerus (Th. hum. vitæ. vol. IV, l. I, p. 1100, col. b.), et Freigius (l. c., p. 24) annum 1550 indicant sed inconsulto, ut mihi videtur, quum non ante annum 1551 Ramus inter regios professores fuerit.

(2) Vid. Rami Schol. grammat., lib. II.

runt, ut sententiis non modo sacerdotem absolverent, sed et impunitatem de grammatica pronuntiatione disputandi tacito assensu in perpetuum stabilirent (1). « E schola regia, inquit Ramus, tum primum *quis*, *qualis*, *quantus*, *mihi* latine et Romane sonuerunt : et pudor fuit regiis professoribus, tanquam regis ipsius voci, palam reclamare (2). » Hic igitur erat adversariorum Rami pertinax vel pravæ consuetudinis amor (3), quem expugnare cum in grammatica, tum in ceteris bonis artibus difficile fuit opus ac majus quam quod ab uno homine absolvi posset. Hoc tamen in regia cathedra strenue aggressus est Ramus : cujus continuos in docendo labores ex ordine dicemus.

Primi anni, quo regius professor factus est, primus quoque labor fuit, ut reipsa et exemplis demonstraret eloquentiæ philosophiæque, tametsi in artibus tradendis præcepta distincta essent, *usum* (4) tamen esse copulatum atque conjunctum. Ab eloquentiæ

---

(1) Freig., ibid., p. 24 sq.; Theod. Zuinger., l. c.

(2) Schol. grammat., lib. II De grammatica illa contentione minime conqueritur Ramus; imo profitetur (Præfat. scholar. in liberales artes) « suam contentionem nusquam expeditiorem fuisse. » Unde manifestum est in quem errorem inciderit Voltaire, cum dixerit : « Une des plus violentes persécutions excitées au seizième siècle contre Ramus, eut pour objet la manière dont on devait prononcer *quisquis* et *quanquam*. » Dict. philos., Du quisquis de Ramus.

(3) Cujus Freigius exemplum prorsus incredibile refert his verbis : « Verum est et editis libris proditum, in Paris. Acad. doctores extitisse, qui mordicus tuerentur ac defenderent *ego amat* tam commodam orationem esse quam *ego amo;* ad eamque pertinaciam comprimendam consilio publico opus fuisse. » Ibid., p. 24, 25. Vid. Bayle ad hunc locum (Dict. hist., etc.).

(4) « ... Usum artium omnium, imprimisque logices, e bonis auctoribus petendum sæpe ad ravim inclamitavit; unde et *usuarius* honorifico titulo ab adversariis dictus est, quem probro notare cogitabant. » Nancel., l. c., p. 35, 36.

itaque principe Cicerone demonstrationis suæ fidem, et quidem ex Aristotelis doctrina ordiri voluit (1). Orationes igitur lectionibus illustravit, quæ a Cicerone in consulatu fuerant habitæ, ut pro Q. Rabirio, Agrarias, Catilinarias; de quibus exstant ejusdem Rami commentationes (2). Percurrit eodem filo et serie orationes pro P. Quintio, pro Sexto Roscio Amerino, pro Q. Roscio comœdo, et Verrinas ordine septem; ubi substitit, consiliumque mutavit, quod inierat, totum orationum Ciceronianarum volumen explicandi (3). Deinde animi recreandi causa, voluit ad poeticam devertere, eodemque stylo Virgilium totum, licet ridentibus et cachinnantibus invidis et obtrectatoribus quibusdam, explicare proposuit. Perlectis autem atque illustratis Bucolicis et Georgicis (4), Æneidos vixdum primo libro excurso, consilium hoc quoque et institutum mutavit : atque ita, et a Cicerone et a Virgilio digressus, ad alia studia se contulit.

Inter istas oratorias et poeticas commentationes, Cæsaris Commentarii (5) et *Brutus* Ciceronis interces-

---

(1) Vid. Præf. in Orat. Ciceronis de lege agr.

(2) Vid. infra Catal. op. Rami.

(3) Nancel., l. c., p. 20, 21. Vid. Catal. op. Rami.

(4) Nancel., p. 22, 23, 24 : « In quod utrumque exstant ejusd. commentarii ut faciles, sic admodum populares et methodici. » — « De quo etiam hoc obiter dixerim, in tot orat. Cicer., tot libris Virgil. explicandis, eam homini fuisse consuetudinem ut quotidie paginam unam nec minus nec amplius prælegeret. Ex quo *paginarius* Ramus convicio ludicro dici solebat. » — « Hoc autem scire juvabit, hunc Ramo nostro morem fuisse, ut de re qualibet dicturo sufficerent notæ breves... tribus lineis in charta descriptis et annotatis, sic continua oratione dicere pergeret, hora tamen non amplius una. » — Vid. Catal. op. Rami.

(5) Ex quorum explicatione duo libri exorti sunt, ad Carolum Lotharingum anno 1559 a Ramo missi : quorum unus De moribus veterum Gallorum, alter De militia Cæsaris inscribebatur. Vid. infra Catal. op. Rami.

sere : quem legendo jamjam aggressurus, per dies totos octo vel plures de Ciceroniana imitatione magno apparatu et insigni eloquentia declamitavit : quæ quidem exstant conciones in unum librum redactæ qui *Ciceronianus* inscribitur (1) ; hoc autem opus Carolo Lotharingo, qui totius declamationis auditor esse voluerat, dicavit anno 1556.

Quum vero Ciceronem, aut Virgilium, aut quemlibet alium auctorem eloquentiæ gratia explicaret, certam quamdam artem semper habebat ante oculos, ad quam omnes lectiones referebat. Sic ad rhetoricam et dialecticam reformandam orationes Ciceronis et librum *De fato* assumebat ; ad physicam et astronomiam Virgilii *Georgica* et *Somnium Scipionis* (2). Genus enim istud docendi imprimis amplectebatur et amabat, quo disciplinæ non modo clariores, sed humanæ vitæ utiliores efficiuntur (3). Quapropter artium liberalium fructum in auctoribus earum disciplinarum fama gloriaque præstantibus exquisivit ; atque ita per octo primos regiæ professionis annos tres primæ liberales artes, quas ἐξωτερικάς vocabat, grammatica, rhetorica, dialectica excultæ sunt (4).

Grammatica igitur utriusque linguæ, sed latina præsertim quæ majoris in Europa necessitatis esset, explicata est diligentius, longeque brevior et facilior

---

(1) Nancel., l. c., p. 23 ; Banos., p. 11 : « Ciceroniano, id est eloquentiæ thesauro, edito in publicum, ut barbarie abdicata, latini idiomatis elegantia in pristinum decus restitueretur. » Vid. infra Catal. op. Rami.

(2) Vid infra Catal. op. Rami.

(3) Freig., p. 22. Cf. Rami Orat. de sua professione.

(4) Orat. de sua profess., ann. 1563 habit.

facta est, quam antea fuerat (1). Quum autem duplicem cujusque artis commentationem instituisset, ἀποδεικτικὴν alteram, qua veritas artium utilitasque demonstraretur, ἐλεγκτικὴν alteram, qua contrariarum opinionum vanitas refelleretur (2); ad utramque grammaticam *Scholæ* etiam *grammaticæ* (3) accesserunt, quæ causam cujuscumque loci disseruerunt.

Grammaticam vero rhetorica consecuta est, de qua prælium adversus Ciceronem et Quintilianum (4) certaminis gravioris et diuturnioris fuit. Hoc quoque duplex studium, apodicticum pro rhetorica, et elencticum adversus rhetoras. Partem autem illam compendiariæ rationis et viæ Aud. Talæo tradidit, cujus rhetorica τεχνολογία cum Rami doctrina omnino congruit (5). Elenctica vero Ramus suscepit atque copio-

(1) Vid. Catal. op. Rami.

(2) Schol. math. sive Proœm. mathem., lib. I, p. 1.

(3) Vid. Catal. op. Rami.

(4) Quorum defendendam causam suscepit P. Gallandius, professor reg., vetus Rami adversarius. De his autem disputationibus Rabelais (in Præfat. lib. IV *Pantagruelis*) satis obscure loquitur his verbis : « Mais que ferons-nous de ce Rameau et de ce Galland, qui, caparaçonnés de leurs marmitons, suppous et adstipulateurs, brouillent toute cette Académie de Paris? J'en suis en grande perplexité. Et n'ay encore résolu quelle part je doibve encliner... L'un (?) a des écus au soleil, je dy beaux et trébuchant; l'autre en voudroit bien avoir. L'un a quelque sçavoir; l'autre n'est ignorant. L'un aime les gens de bien; l'autre est des gens de bien aimé. L'un est un fin et cauld regnard; l'autre médisant, mesescrivant et abayant contre les antiques philosophes et orateurs comme un chien... » Ambos autem adversarios (quorum uterque *Petrus* vocabatur) in *Petras* mutari jubet. Cf. Jacob Le Duchat ad hunc locum : « Eodem joco usus Joach. du Bellai, in poema quod dicitur *La Pétromachie*, Petrum Ramum cum ceteris *Petris* induxerat.

Voicy un Platon tout nouveau
Qui s'est rongé tout le cerveau
A ronger ce pauvre Aristote, etc.
(Œuvres franç., Rouen, 1592, fol. 502 sqq.)

(5) « Talæo vita functo... Rhetoricen illam nescio quo jure (Ramus) sibi

sius libris compluribus tractavit : unde etiam *Scholæ rhetoricæ* prodierunt, quibus *Brutinæ quæstiones et Distinctiones in Quintilianum* repetitæ atque iterum explicatæ sunt (1).

Logica deinceps in eamdem palæstram vocata est : cujus ex officina ceteras artes depromptas fuisse Ramus affirmat (2); illius certe usum familiarem in omni sua professione, demonstrare conatus est. Dialecticam tamen separatim ex *Institutionibus dialecticis*, secundo

---

arrogavit, et interpolatam in vulgus edidit, quasi a se primum inventam descriptamque et a Talæo commentariis illustratam... Volui aliquando hujus facti causam a Ramo scitando discere : sed cum vererer hominem gravem et iracundum irritare, malui ita apud me statuere : communia olim fuisse Ramo cum Talæo studia, et Ramum illi aperuisse modum, methodumque indicasse rhetorices in artem redigendæ; et quia plus contulisse Talæus videbatur, suoque quodam stylo artem exornasse,... ideo illi gloriam solidam inventionis vivo concessisse, quam a mortuo repoposcit : ut cujus operis dictator atque dux exstiterat, ejusdem nunc vere primarius auctor haberetur. » Hæc Nancelius (in Vit. Rami, p. 40, 41). Sed dum Ramum a plagii culpa vindicare studet, accusatoris potius quam defensoris partes agere videtur. Melius Niceron (Biblioth., t. XIII) : « On trouve dans la rhétorique d'Omer Talon, un *avis au lecteur* de la façon de Ramus, qui suffit pour détruire l'imagination de ceux qui l'ont accusé de plagiarisme, prétendant qu'il avait publié sous son nom la Rhétorique de Talon. » Sic enim Ramus in illa præfat. : « Habes, lector, in duobus libellis rhetoricam elocutionis et actionis ab Audomaro Talæo... conformatam. » Eamdem mortuo Talæo in Orat. de sua prof. publice attribuit, nedum suam appellet. Cum tamen rhetorica illa ex sua descripta fuerit sententia, inde factum est ut aliquando *fratris* opus fere ut suum nominaverit, non satis distinctis utriusque in communi proposito et opere partibus (Epist. ad Papium Bononiens. et alibi). Ceterum reliquum Nancelii testimonium attendamus : « ... Certum scio (inquit) P. Ramo satis solidæ laudis proprio Marte quæsitum, nec unquam plagio alterius inventum sibi arrogasse aut vindicasse. Imo et hoc adjiciam mihi compertissimum : .... Hoc opus (Admonitionem ad Adr. Turnebum) sub Talæi nomine divulgavit, eique laudem arguti scripti omnem contulit, cujus ille ne paginam quidem integram conscripserat. » Ibid., p. 41, 42.

(1) Vid. infra Catal. op. Rami.

(2) Rami Præf. grammat. prim. (in Collectan., p. 2), et alibi.

regiæ professionis anno docuerat (1), invita quidem æmulorum invidorumque turba. Scilicet anno 1552, cum in Cameracensi schola frequentissimo auditorio propriam dialecticam auspicaretur, ab æmulis clamores, strepitus, sibili ingentes excitari cœpere. Hac insolentiâ nihil ipse permotus, eum se oratorem præstitit, ut multùm diuque licet obnitentibus adversariis, per intervalla clamorum, incredibili constantia nec minore cum gloria peroraverit. Qua ejus virtute stupefacti inimici, in posterum minus ei fuere molesti (2). Logicam autem Ramus, cum apodicticam (3), tum etiam elencticam docuit : unde *Scholæ dialecticæ* ortæ sunt, quæ alio sub nomine, Animadversiones Aristotelicas referebant (4).

Hæc fuit Rami professio, hæc studia fuere per

---

(1) Præfat. dialect. sec. (in Collectan., p. 41). Cf. Freig., p. 34 ; Th. Zuing., Th. hum. vitæ, vol. XXI, l. IV, p. 3867, col. b.

(2) Freig., ibid. ; Zuinger., ibid. Neque tamen unquam æmulorum Rami sedata est invidia ; sed Carpentarius, Muretum doctorem medicum sibi socium adjungens, philosophi nostri lectiones, si non regias, at certe Præleas indesinenter incriminabat, cum in ipsa Universitate, tum apud senatum Parisiensem. Anno enim 1552 et 1553, « recruduit contentio inter magistros Facultatis artium de modo tradendæ discipulis philosophiæ. » Du Boulay, Hist. univ. Paris., t. IV, p. 454. « Die 8 febr. (1553) ipsa Universitas publicis expensis voluit suscipi causam MM. Carpentarii et Mureti adversus Petrum Ramum et alios eidem faventes, idque negotii prætori Urbano nomine publico commendari. Die vero 13 ejusdem mensis, inhibuit Ramo et consociis, ne aliter instituant discipulos quam pro more in omnibus collegiis recepto, saltem quoad lectiones ordinarias : permisit vero lectiones habere extraordinarias poetarum et oratorum ad libitum. » Id., ibid. Hoc nempe prætor secundum senatus decretum edixit. Sic Carpentarii mens furiosa nunquam sedata est, vel dum plerique inimicorum Rami ei reconciliarentur, ut P. Gallandius, posteaque Adr. Turnebus, de quo infra dicendum erit.

(3) Cujus professionis monumenta plurima supersunt : varias primum Institut. dialecticarum editiones ; tum La Dialectique vernacule, tum etiam Dialecticæ libr. II. Vid. infra Catal. op. Rami.

(4) Vid. Catal. op. Rami.

annos octo, ex quo regius professor factus erat. Reliquum autem professionis ac fere vitæ tempus in ἀκροαματικῷ genere occupatum fuit. Postquam enim Ramus oratores ac poetas summa eloquentiæ fama publice legisset, pertæsus illius consuetæ professionis, ad novas artes animum intendit. Nimirum eumdem logicæ facultatis usum quem pridem in dicendi et orandi arte compertum habebat, etiam in mathematicis artibus invenire inventumque demonstrare percupiebat : quas eodem fere tempore et didicit et docuit. Sic enim ille solebat, dum literas græcas aut mathemata domi per se vel adhibito submonitore disceret, eodem tempore utraque publice legere et profiteri (1). Quemadmodum autem græcis literis bis terque ita studuit ut, anno 1548, teste Nancelio, ipsa linguæ græcæ elementa cum quodam Jo. Baugerio repeteret (2), sic mathematicis artibus, post decem annos (3), operam rursus dedit. Quum enim sub Orontio Fineo (4) olim iis disciplinis incubuisset, atque in Mariano gymnasio, sex priores Euclidis libros cum sphæra explicuisset (5), ecce

(1) « Hoc sibi calcar ingens ad discendum esse sentiens, ut sæpe observavi, » inquit Nancelius, l. c., p. 25. Cf. Theoph. Banos., p. 13, 14.

(2) Nancel., ibid. « Quo primum anno ad illum accessi, eodem videbam Jo. Baugerium summo mane ad eum ventitantem homunculum, quocum de grammatica græca, deque elementis linguæ gracæ, declinando, conjugando et similibus minutis rebus grammaticis communicaret. »

(3) « Post viginti prope annos, » ait Nancelius, l. c.; sed, cum Ramus, interrupta post annum 1545 privata mathematum professione, Arithmeticam anno 1555 ediderit, hinc facile Nancelii errorem deprehendimus : *decem* videlicet pro *viginti* dicere debuerat.

(4) Oront. Finæus Delphinas (de quo Montucla, Hist. des math., part. III, l. 3) primus Lutetiæ mathematicas artes publice professus est.

(5) Nancel., ibid. Cf. Banos., p. 13, 14; Freig., p. 13 fin.; Rami Orat. de sua profess.; ejusd. Schol. mathem., lib. II init.

anno 1559-1560 ad mathemata strenue reversus est : quæ eum vehementius exercuerunt ; sed, ut ipse dictitabat, *Labor omnia vincit improbus* : cujus sententiæ veritatem in quindecim Euclidis libris expertus est. Sic enim ipse de studio illo mathematico loquitur : « Persuasione hac inductus, nihil reputans quot et quantæ mathematum per se obscuritates essent, prompto atque alacri animo ad decimum usque librum penetravi ; sed immensa subtilitate operis illius, licet eruditissimis P. Montaurei (1) vigiliis explicati et illustrati, tamen sic exercitus sum (dicam enim libere in cathedra præsertim laboris illius conscia), ut quodam die cum binomii et residui cujusdam demonstrationem summa animi intentione, corpore horam integram idem vestigium premente, nondum conclusissem, senserim collo nervos obriguisse : tum vero abacum radiumque abjeci, indignatusque mathematis succensui, quod sui studiosos et amatores tam acerbe cruciarent : pudor tamen desistere vetuit, illiusque tanquam titubationis offensione irritatus et decimum librum devoravi, perque reliquam pyramidum, prismatum, cuborum, sphærarum, conorum, cylindrorum regionem ire perrexi. Quin etiam emensis elementorum scopulis, Theodosii sphærica, et Archimedis cylindrica tota perlegi : Apollonium, Serenum, Pappum meditabar,.... nisi cursus industriæ, imo vero pene vitæ abruptus esset (2). » Non autem extinctus est ardor ille Rami,

---

(1) *Pierre Mondoré*; de quo vid. Montucla, Hist. des mathématiques, part. III, lib. III, t. I, p. 576. Fuit ille Ramo satis infensus, teste Carpentario, in Respons. ad Exposit. de methodo, etc., fol. 7.

(2) Orat. de sua profess. Cf. Nancel., p. 27-28.

vel inter bella civilia, vel dum lethales inimicorum insidias fugeret. Mathematicas et physicas artes reliqua vita coluit, et omni sua professione, quantum data est profitendi copia, amplexus est, excepto aliquo temporis spatio quod in ethicis illustrandis consumpsit (1).

Habuit tamen tanti laboris socios quosdam et adjutores : Joannem Pœnam (2) suæ disciplinæ alumnum, deinde Forcatelum (3), Fridericum Reisnerum Germanum, Arnaldumque Ossatum, qui Rami discipulus, in philosophicis et mathematicis studiis adjutor ei sæpe fuit. Hos omnes pro submonitoribus adhibuit. « Imo, ait ipse Ramus, nullus fuit in Academia Parisiensi mathematicis artibus eruditus, quem non familiarem charumque habuerim. Sed quid Parisienses adjutores commemoro? Nemo est in Britannia, Germania, Italia, mathematico studio excellens, quem non animo et literarum sermone adierim (4). »

His igitur studiis, his laboribus, totum fere libe-

---

(1) Opera Rami mathematica, physica, ethica infra recensentur in Catal. op. Rami.

(2) Vid. Act. math. sec. « Profiteor adjutores tanti laboris mihi et adfuisse et adesse, sed longe alia lege atque conditione, quam convitiator noster (Carpent.) existimat. Jo. Pœna imprimis, etc. » Ex his Rami verbis patet Jo. Pœnam ejus adjutorem non magistrum fuisse. Immerito igitur Ant. Teissier : « Voyez, inquit, ... un passage de Ramus (illud nempe quod transcripsimus). *Ainsi* Ramus a été précepteur de Pœna dans les belles-lettres, et son disciple dans les mathématiques, de même que Jacques Sterbæus apprit les belles-lettres à Fernel, qui lui enseigna les mathématiques. » Élog. des hommes savants, t. II, art. *Ramus*. In eo autem a doctissimo Bayle (l. c.) jure reprehenditur Teissier. Cf. Nancel., in Rami vita, p. 25 sqq. « His mathematum non doctoribus quidem, sed condiscipulis usus est Ramus, » p. 27.

(3) De Forcatelo, vid. Montucla, l. c.

(4) Act. mathemat. sec. Cf. Freig., p. 29, 30; Nancel., p. 25, 26.

ralium artium curriculum absolvit, quod sibi jam tum proposuerat, quum profitendi munus accepisset. Quamdiu enim liberalium artium professione non perfunctus erat, majore religione quam quisquam unquam fuerit ullius voti se obligatum atque obstrictum putabat (1). Nec quidquam certe imperfectum reliquisset, nisi mors immatura obstitisset. Sed ne temporum seriem invertamus, et quoniam de regia Rami professione satis diximus, nunc ad publicam ejus vitam revertamur.

Hic rursus occurrit Carpentarius, utpote qui Ramum constanti invidia et odio ad mortem usque persecutus fuerit, ut vel ex ipsius aut Rami scriptis et ex actis publicis Academiæ constat.

Illo enim auctore, philosophus noster, tum apud artium facultatem, tum apud ipsam Universitatem, tum etiam nomine publico apud urbanum prætorem haud semel accusatus (2), perpetuis vexationibus affectus est. Sed tantam æquo animo inimicitiam tulit, neque ullam pro tot conviciis atque injuriis pœnam ab homine nequissimo per duodecim annos expetere dignatus est. Imo vero Carpentarium, si tantum iste voluisset, in gratiam recepisset. Id enim notandum in primis existimo, quod adversariorum et inimicorum unumquemque longa patientia atque animi sinceritate sibi tandem conciliaverit, imo sibi amicum fecerit. Cujus rei testes fuere inter alios, Gallandius, vetus ille Aristotelis defensor contra audaces Rami conatus, et Adrianus Turnebus, doctissimus in regia schola

(1) Epist. ad Ang. Papium Bononiensem (Collectan., p. 199).
(2) Du Boulay, t. VI, p. 454, p. 524, etc.

professor, et fere solus quem dignum responsione, licet non obsignata, Ramus judicaverit (1). Uterque enim paucis ante mortem annis, philosopho nostro reconciliatus, factus est plane familiaris (2). Salignacius quoque olim infensissimus, eo adductus est ut illum plurimi faceret, statuaque dignum esse aliquando exclamaret (3). Ipsi Universitati placuit tandem devotissimum sibi alumnum in gratiam recipere. Scilicet haud semel legatus delectus est, qui a rege privilegiorum conservationem publico Universitatis nomine flagitaret. Quibus legationibus functus est feliciter, atque publicas in frequenti concione orationes habuit, quæ totum facultatis artium populum sic affecerunt, ut nullas neque gratias, neque laudes legato satisfacturas putaret (4).

Interea dum tanto apud regem (5), senatum (6) et Universitatem Parisiensem favore frueretur, Carpentarius, vix semel in Academiæ comitiis, anno 1558, de Rami disciplina conqueri et declamare ausus est (7) : sed frustra, ideoque homo callidus obmutuit,

---

(1) Nancel,, in Rami vita, p. 42, 43. Vid. Catal. op. Rami.

(2) Id., ibid., p. 66, 67.

(3) Vid. Præf. in Orat. de legat. sec. Præterea Nancel. (p. 67-68) mirabile quoddam Rami somnium enarrat, in quo P. Castellanus morti proximus Ramo apparuit, eumque his verbis ultro affatus est : *Vale, Rame.*

(4) Du Boulay, t. VI, p. 501-502, 507-508, 520, etc. Cf. Orat. de legatione prim. et sec., 10 cal. jul. 1557, et prid. id. april. 1561 habitas.

(5) Delectus est ab Henrico II rege, cum P. Danesio et aliis quibusdam qui reformandæ Universitati consulerent. Vid. Du Boulay, ibid., ad ann. 1556, p. 489.

(6) Du Boulay, ibid., p. 501-502 : « Delegati sunt e facultate artium Ramus et Turnebus, professores regii; hi potissimum *qui grati notique erant curialibus.*

(7) Du Boulay, ibid., p. 524.

donec magis idoneam occasionem religio præberet : quam nactus est anno 1562.

Scilicet Ramus, quum per totam vitam hactenus (1) religionem catholicam romanamque professus esset, ejusque observantissimus fuisset (2), ad novam religionem tunc temporis translatus, sententiam suam occasione data aperte declaravit : qua autem via ad id adductus fuerit paucis considerandum est. Non enim forte aut inconsiderata temeritate novas Calvini et reformatorum opiniones amplexus est; sed ut in humanis scientiis et artibus methodo unica permulta in melius (ut opinabatur) provexerat, ita eademque mente impulsus theologiam quoque reformare tentavit. Cujus rei testem ipsum adhibeamus; qui quidem, in quadam ad Carolum Lotharingum epistola, qua sese ab omni culpa purgat : « Pietatis, inquit, quæstio gravior est, quasi leviter et inconstanter a patriæ religionis cultu rituque discesserim : at si negligentiæ nomine in humanis literis suspectus nunquam fui, in sacris multo minus esse debui, et tamen inter illas opes quibus me ditasti, has etiam in æternum recordabor, quod beneficio Poessiacæ responsionis tuæ didici (3), de quindecim a Christo seculis, primum vere

(1) Attamen, « forte jam olim in suspicionem de religione lutherana inciderat, metuebatque observantium adversariorum insidias et dolos delationemque. » Nancel., p. 33.

(2) Theoph. Banos., l. c. p. 24; Nancel., p. 33-34, 53, 70. — « Secum preces meditari solitum, sed eas (ut judico) perbreves, nisi forte matutinas ex breviario, dum missæ adesset quotidie, produceret longius. Ita enim illi moris erat, quo tempore apud illum vixi, quotidie sacro ad horam sextam interesse, et eodem suos omnes cogere : ut qui bis terve abesset, nisi seria excusatione legitimaque usus, vapularet acriter, etc. » Nanc., p. 53.

(3) Carolus nempe Lotharingus in colloquio Poessiaco, sive Possiacensi

esse aureum, reliqua quo longius abscederent esse nequiora atque deteriora : tum igitur quum fieret optio, aureum seculum delegi, posteaque non destiti scripta excellentium theologorum legere, cumque ipsis theologis, ubicumque licuit, coram agere et communicare, et ad meipsum privatim erudiendum commentaria præcipuorum capitum conficere (1). » Non igitur leviter novæ religionis partes secutus est, sed sacros libros Novumque præsertim Testamentum diligentissime legerat (2). Quum autem Poessiacæ synodo interfuisset, et cardinalis Lotharingi atque Theodori Bezæ orationes avidissime excepisset, eadem deinceps in sacris literis, qua jampridem in humanis libertate usus, a catholica sensim Ecclesia deficere cœpit. Erat enim novarum rerum cupidior (3); logicum autem lumen, ut in ceteras bonas artes, sic in theologiam afferre vehementissime optabat. Hoc ardore accensus, publica concione Parisiensis scholæ monachos graviter admonuit, ut puriorem theologiam ex Evangelio, relictis sophisticis scholasticorum quæs-

---

(quod anno 1561, mense septembri habitum est), catholicæ religionis orator, Theodoro Bezæ magna cum eloquentia respondit, teste inter alios permultos J. Aug. De Thou, lib. XXVIII ad ann. 1561.

(1) Epist. ad Carol. Lothar. cardinalem, Lutetiæ data, 11 cal. nov. 1570 (Collectan., p. 255).

(2) Theoph. Banos., p. 25. — Nancel., p. 34 : « In quo (Nov. Testam. ac Breviario romano) quotidie dum sacris et missæ interesset, legebat pauca quædam, cum codicillis, quos circumferebat, etiam inter sacra audienda semper aliquid interim meditatum ex tempore adscriberet. . . »

(3) « Ramus, inquit Steph. Pasquier, personnage de singulière recommendation, mais aussi *grandement désireux de nouveautez.* » — « Ante annos complures (ut supra dictum est), fuit ille hæreseos suspectus, jure nescio an injuria; sed et hoc scio, e schola Prællea permultos exiisse viros quidem doctissimos, eosdemque religionem deinceps dictam reformatam professos. » Nancel., p. 63.

tionibus, discerent (1). Missæ autem rarius interesse, neminemque ad id cogere, ut olim; imo iis favere potius, qui abstinerent (2). Interrogatus ea de re a viro gravissimo, strenue respondit: « E toto vetere novoque Testamento nihil quidquam magis a novissimis christianis depravatum et corruptum esse quam secundum mandatum legis (3) et cœnæ sacramentum, ut homo in utroque per speciem religionis in execrabilem idololatriam laberetur (4). »

Hac igitur mente, imagines altari circumpositas in Prællei collegii sacello deponi et subter aras occultari permisit : quæ dum loco moveri cœperunt, forte partim dilapsæ, partim a discipulis, cum plerique essent et sacra romana et imagines perosi, insolentius deturbatæ, fractæ sunt (5). Ex quo Ramus apud omnes ut *iconoclastes* diffamari, ab adversariis traduci et insimulari cœpit. Hanc ille nactus occasionem

(1) Theoph. Banos., l. c., p. 24. Cf. Ant. Teissier, Éloges des h. sav., t. II, art. *Ramus*.

(2) Nancel., p. 72 : « Postremo Paschate, quo apud illum versabar (1562), cum domus quam plurimis et discipulis et magistris abundaret, nemo sacris aut communioni adfuit, præter ipsum Ramum et Jac. Gopylum, regium medic. profess., qui eo forte convenerat, et me tertium ejusd. mensæ convivam. »

(3) « Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles, etc. » Ex., c. 20, § 4 sqq.

(4) Banos., p. 25. Hæc nempe duo præsertim in catholica religione reformati reprehendebant. Vid. apud Henricum Stephanum (Introduct. au traité de la conform. des merv. anc. avec les mod., etc., 1566), quibus conviciis adversus Romanos uti solerent, quos *theophagos*, imo *theochezos*, ex. gr. appellarent : « Nous avons tous les jours certaines nouvelles des théophages et (qui pis est) des théochèzes. » *Ibid.*, in præfat.

(5) Nancel., p. 71. Cf. Banos., p. 24; Du Boulay, t. VI, p. 549; Felibian., Hist. de la ville de Paris, t. II, l. XXI, p. 1084; P. Daniel, Hist. de Fr., t. X, p. 166, ad ann. 1562.

urgentem, non jam occulte, sed aperte religionem professus, mutavit orationes sacello suetas, et memorias mortuorum, et invocationes sanctorum abolevit; alia tandem sacra, alios ritus coluit (1). Neque tamen impune (2); ardentius enim ob opiniones theologicas persecuti sunt inimici, tum privatim tum publice, præsertim ex quo bellis civilibus Gallia laboravit. Utrum autem major illius constantia et fortitudo, an ira atque perfidia inimicorum fuerit haud facile dictu est.

Illo anno 1562, Ramus, qui jam antea anno 1556 ab Henrico II rege designatus fuerat ut reformationi Universitatis consuleret (3), ad regem Carolum IX *Procemium reformandæ Parisiensis Academiæ* misit. In hoc autem libello qui latine simul et gallice editus est (4), objurgatis strenue Academiæ medicis ac theologis, Ramus inter multa alia quæ calvinistam indicant, regem perorando sic allocutus est: « Ego vero, tibi, rex, non solum Alexandri liberalitatem, Trajani bonitatem, Caroli Magni virtutem, Lodoici duodecimi probitatem, sed supra humanas laudes altissime eminentem *veram pietatem et religionem* exopto (5). »

---

(1) Nancel., p. 71, 72.

(2) Du Boulay, Hist. univ. Paris., t. VI, p. 549 : « Die 23 jan. habitis privatis comitiis, deputati voluerunt informandum a D. rectore (Joanne Vernoliensi) cum scriba, de primario illo qui fregit imagines sui collegii; et si constiterit de ea re, illum privandum privilegiis Universitatis, et talem declarandum in publicis comitiis (id de Petro Ramo professore regio et Prælleo gymnasiarcha intellige), etc. »

(3) Du Boulay, t. VI, p. 489, ad ann. 1556.

(4) Vid. infra Catal. op. Rami.

(5) Procem. reform. Paris. Acad., in perorat.; Cf. Theoph. Banos., p 24.

Interea referente Michaele Hospitalio, datum fuerat (17 die januar. 1562) liberale illud edictum quo reformati conscientiæ et cultus sui libertatem adepti sunt. Quod quidem Parisiensis senatus, nonnisi post duos integros menses, « *per provisionem duntaxat, et donec aliter rex statueret*, » admisit (1). Quid autem de hoc edicto senserit Universitas, ex Historia Universitatis Parisiensis facile intelligimus : « Universitatis rector (Joannes Vernoliensis), die 24 januarii, selectis viris comitatus, adit curiam et nomine publico intercedit ne edictum publicetur et typis excudatur. Die vero 26 habitis frequentibus comitiis apud Mathurinenses, placuit legatos ad regem pro negotio fidei destinare. Intercessit unus Ramus, « quominus mittantur legati in aulam regiam, quin prius intelligatur ac deliberetur publice de articulis Universitatis nomine ad regem mittendis, » actumque suæ intercessionis a scriba petiit. Eodem die, habitis privatis comitiis deputatorum, hora secunda pomeridiana, idem Ramus, Prællei collegii primarius, Nicol. Charton, doctor medicus Bellovaci (2), Guill. Gallandius (3) Becodiani, reclamarunt adversus orationem a rectore habitam in senatu die 24 nomine publico (4). » Rec-

(1) Die 6 mart. 1562. Du Boulay, t. VI, p. 548, 549. « In Universitate stupor, etc. »

(2) De colleg. Bellovaco (de Beauvais), quod cum Prælleo ab ann. 1597 ad ann. 1699 conjunctum est, vid. Du Boulay, t. IV, p. 429; Cf. Felibian., Hist. de la ville de Paris, t. I, p. 668 sqq., ad ann. 1370.

(3) Nepos Petri Gallandii, Ramoque valde amicus. Universitatis rector fuit 24 mart. ann. 1566 (Du Boulay, t. VI, p. 976, et 967 in Catal. oct. sec.). Becodiani autem collegii primariatum a patruo ut hæredium acceperat ann 1559 (Id., ibid.). De colleg. Becodiano (de Boncour), vid. Felib. ad ann. 1353, t. I, p. 609.

(4) Du Boulay, t. VI, p. 549-550. Cf. Languet, Epist., lib. II, epist. 68,

toris autem hac in occasione insolentia regi vehementer displicuit : quo jubente, rector severa castigatus est admonitione (1).

Sed dum pacem atque concordiam in Gallia stabilire Hospitalius eniteretur, Guisiorum ambitioni aliter visum est. Bello igitur civili exorto, Lutetia mense julio expulsi sunt calvinistæ (2), et ab Universitate proscripti, omnique officio et munere privati quotquot professionem fidei a facultate theologiæ propositam non juravissent (3). Saluti suæ Ramus consulere coactus, literas a rege accepit, et ad regiam Fontisbellaquei (4) bibliothecam profectus est (5); ibique periculi oblitus, indefesso veritatis amore, cum mathematicorum, tum etiam theologorum veterum (6) libros evolvit. Hæc vero assidue meditantem *solitudo cervorum* ac sylva occulere diu non potuit. In Italiam tum confugere cogitavit, quo eum Bononia honorifice invitarat; in Germaniam quoque sæpe respexit : sed viis omnibus terror mortis intentus ac pavor, rumor etiam Prællei sui indignis modis direpti, tum bibliothecæ clarissimis quibusque rebus spoliatæ ac depopulatæ ad regiam Vincennarum propius urbem

(1) Die 3 febr. 1562. Du Boulay, ibid., p. 550.

(2) Felibian., t. II, lib. XXI, p. 1083 sqq.

(3) Id., ibid.; Du Boulay, t. VI, p. 552.

(4) De regia illa domo vid. Le Trésor des merveilles de Fontainebleau, etc., auctore P. Dan, Paris., 1642. Ibi fuerat instituta primum a rege Carolo V bibliotheca quæ ante alias regia dicta fuit : quam a Francisco I auctam locupletatamque Henricus IV Lutetiam in Claromontanum gymnasium ann. 1595 transferendam curavit. De illius Bibliothecæ historia et migrationibus, vid. Louys Jacob, Traicté des plus belles bibliothèques, etc. (Paris, 1644, in-8°), sec. part., c. 83, p. 441 sqq.

(5) Orat. de sua profess.; Cf. Freig., p. 26; Banos., p. 25.

(6) Theoph. Banos, ibid.

revocarunt. Quin alia vis etiam gravior (1) accidit, ut e Vincennis per invia itinera profugiendum fuerit, et subinde variis in locis delitescendum (2). In fuga tamen otium aliquod identidem reperit, partim apud Regium montem, a Barn. Faiollio exceptus (3), partim apud Regium Creolium, Bertrandi Magdalieni et Joan. Belli liberali hospitio usus, eruditamque Lodoici Carbonarii et jucundam consuetudinem nactus (4). *Physicas* autem *scholas* vel fugitivus perscripserat, cum pax optatissima (5) afflictam tot ærumnis Galliam reficere et recreare cœpit.

Lutetiam igitur reversus, Prælleum suum, quod fido amico nomine J. Poitevin crediderat, a quodam Antonio Muldrac theologiæ baccalaureo occupatum reperit. Non tamen suo primariatu impune spoliari potuit, sed in pristinam sedem obstante nemine restitutus est (6). In regiam rursus cathedram conscendit,

---

(1) Haud semel Ramo lethales insidias inimici paraverunt, sicut infra demonstrabitur.

(2) Orat. de sua profess. Cf. Freig., p. 28.

(3) Ibid. Cf. Schol. phys., lib. II, epil.

(4) Schol. phys., lib. VIII, epil.

(5) Ann. 1563, die 19 mens. mart. Ambusiacum (d'Amboise) fœdus initum est; vid. Thuani Hist., lib. XXXIV, sub fin.

(6) Du Boulay, t. VI, p. 659, ad. ann. 1568. « Veu par la cour la requeste présentée par M. Antoine Muldrac, bach. de théol. en l'univ. de Paris, contenant que M. P. de la Ramée, dit Ramus, principal du coll. de Presles, en l'an 1562 se seroit absenté pour le fait de la nouvelle opinion dont il estoit notoirement diffamé, et le suppliant esté pourveu par l'Evesque de Paris, supérieur en cet endroit de la chapelle à laquelle estoit annexée la principauté dudit collége. , . . . , laquelle possession pareillement auroit esté confirmée par arrest de ladite cour de parlement, nonobstant l'opposition faite à la dite prinse de possession dudit suppliant, par un nommé Jean Poitevin ou autre commis par ledit Ramus, et suivant ledit arrest, ledit suppliant auroit jouy de ladite chapelle et principauté, jusques à ce que l'édit de pacification seroit survenu, . . . , au moyen de quoy ledit suppliant

habuitque anno 1563 *Orationem de sua* duodecim annorum *professione* (1), ubi paucis quidem et contenta voce atroces inimicorum insidias perstrinxit Deumque opt. max. oravit et obsecravit, « ut tam exitiabili funestoque bello penitus exstincto, Galliæ suæ pacem pacisque alumnis liberalibus artibus sempiternam largiretur. » Quum autem intra annum 1562, Audomarus Talæus de vita decessisset, nonnulla in eadem oratione de ejus morte locutus, socium imo fratrem amissum deploravit, « cujus interitu, inquit, magnum detrimentum ingenuæ literæ fecerunt, et nos ad ea quæ meditamur adjutorem auctoremque singularem amisimus (2). »

Anno sequenti, acta est coram parisiensi senatu famosa illa jesuitarum causa; qui cum essent Claromontani episcopi hæredes, eoque nomine in Parisiensem Academiam quasi impetum facerent, interrogati quinam essent, responderunt : « Sumus *tales quales* nos nominat curia; » hac nempe ambiguitate propositum ab Universitate dilemma (3) effugiebant.

---

auroit cédé le lieu audit Ramus.... » Inde manifestum est eos errasse, quicumque Ramum suo collegio suaque cathedra nonnisi longo post tempore rursus potitum fuisse contenderint.

(1) Vid. infra Catal. op. Rami.

(2) Orat. de sua profess. Cf. Nancel., p. 40 : « Morbo incurabili contracto, Talæus sacris sese addixit, et sacerdos factus, parœcus Lutetiæ ad D. Nicolai a Cardueto aliquandiu supervixit. » — « Habuit præterea (Ramus).. parœciam Lutetiæ D. Nicolai a Cardueto : hanc Talæo sacra capessenti legavit. » Id., p. 56. Hoc tamen ipsum pro dubio docti quidam viri habuerunt. « On croit assez généralement que Talon était ecclésiastique, et quelques auteurs assurent, *mais sans preuve*, qu'il fut nommé curé de Saint-Nicolas du Chardonnet. » (Biogr. univ., art. Omer Talon.) At ipsa illa dubitatio omni fundamento carere mihi videtur.

(3) Hoc erat : « L'Université reçoit deux manières de gens, réguliers et séculiers.... : s'ils (jesuitæ) sont réguliers, l'Université ne les peut recevoir

Quibus sese acerrime opposuerunt, cum plerique Universitatis professores et gymnasiarchæ, tum regii lectores, inter quos maxime Ramus noster audacia eminuit (1).

Carpentarius contra dignus erat qui cum societate Jesu adversus Universitatem conspiraret; ideoque fuit aperte jesuitarum amicus (2); ea vero agendi ratione usus est, quæ eum Carolo Lotharingo quam maxime commendaret. Quam enim apud cardinalem gratiam Ramus pro suo veritatis amore habuerat, eamdem iste sibi sensim suo hæreseos odio ita conciliavit, ut dum veterem amicum et condiscipulum Cardinalis minoris in dies æstimaret, Carpentarii Mæcenas eodem tempore fieret (3).

---

que premièrement ils ne soient receus en France, ce qu'ils ne sont; s'ils sont séculiers, ils n'ont cause de plaider contre l'Université, car ils ne sont ceux auxquels l'evesque de Clermont a légué biens pour bastir un collége à Paris, qui est cause du procès ému. » Du Boulay, t. VI, p. 588. « Estisne monachi regulares an seculares? — Sumus tales quales nos nominat curia. » Ibid., p. 586.

(1) Turnebus quoque (Du Boulay, t. VI, in Catal. oct. sec.: « versus aliquot mordaces ann. 1564, paulo ante mortem, contra jesuitas edidit. »), et Dion. Lambinus (J. Carpent. epist. sec. ad Logodæd.) jesuitis infensi erant; sed Rami ante omnes a Versori, jesuitarum defensore, facta est mentio his verbis: « Quant aux habits, Ramus et Gallandius (Guill.), et celuy qui a fait la rythme injurieuse sous le nom de l'Université (Turnebus?), se sont fort bien mécontez, disant que leurs robes agraffées, leurs soutannes et leurs bonnets apostoliques estoient habits d'hypocrites. » Du Boulay, t. VI, p. 600, ad ann. 1564, die 26 febr.

(2) Cujus rei testem ipsum habemus in epistola secunda ad D. L. (Dionysium Lambinum), 6 cal. jan. 1571.

(3) Usque ad ann. 1561, Carpentarius unicum quidem opusculum cardinali Lotharingo dicaverat; ceteros autem libros sub nomine Philippi Belli divæ Genovefæ cœnobiarchæ, deinde Josephi Fullonis, item cœnobiarchæ, ediderat: quos *Mæcenates* suos appellare solet, sed post ann. 1565, Carolo Lotharingo Macenate usus, *illustrissimum Galliæ cardinalem et principem* summis laudibus et assentatione prosequitur.

Sed jam ad ea veniamus, quæ ut iracundam auxere Carpentarii invidiam, ita crudelissimum Ramo fatum paraverunt : contentiones inquam de regia mathematicæ professionis cathedra acerrimas. Cujus adipiscendæ quum maxima cupiditate Carpentarius flagraret, licet mathematicorum admodum ignarus, suam sibi ignorantiam publice multoties objici indigne tulit, solaque adversarii morte probrum aboleri posse arbitratus est. Res vero a prima origine enarranda est.

Quum anno 1565, octobri mense, Paschalius Hamelius, regius mathematicarum artium professor, decanus, e vita decessisset (1), huic homo quidam siculus, nomine Dampestra Cosellus, mathematicæ disciplinæ non satis peritus, successerat. Sed a Petro Ramo, collegii regii decano (2) admonitus primum, tum pro tribunali regiorum patronorum excitatus, cum palam demonstrasset, quam ea professione indignus esset, senatus-consultum factum est, ut homo ad examen traduceretur (3). Instante præterea Ramo, scriptisque regi, reginæque matri, cardinali Cartellonio atque Valentino episcopo Monlucio literis, jussit rex ut Dampestra ceterique deinceps ad regiam professionem candidati publice a toto collegio regio

(1) Vid. Remonstr. faicte par P. de la Ramée au conseil privé, en la chambre du roy, au Louvre, le 18 janv. 1567.

(2) Ibid. « Admonesté par moy, comme le plus ancien de la compagnie et le plus prest à mettre en la fosse, que nous appelons doyen. » — « Hoc enim diuturnissimo regiæ professionis labore, decanus regii collegii adhuc definitus est. Sic Orontius primus, sic Strazelius secundus, sic Gallandius tertius, sic Hamelius quartus, decani fuerunt. » Act. math. sec.

(3) Act. mathem. sec., init.

examinarentur (1). Dampestra igitur examen refugiens, successorem sibi quæsivit, mathematica quidem doctrina longe inferiorem, sed audacia et factione superiorem, Jacobum Carpentarium (2). Qui quamvis sese literarum græcarum et mathematum prorsus ignarum esse fateretur, imo mathemata omnino contemneret ac respueret (3), in regiam mathematicæ, imo philosophicæ, quamvis nulla vacua esset, professionis cathedram (4) conscendere ausus, examen superbe recusavit. Quapropter Ramus ei sese, ut antea Dampestræ, strenue opposuit : quo instante (5), regium edictum de examinandis regiis professoribus, die 8 mart. datum est (6). Cum

(1) Remonstr. au conseil privé.

(2) Act. math. sec.; Remonstr. au cons. privé : « Alors Dampestre se voyant environné de tant de rets, et de la cour de parlement, et du roy, procède simplement et rondement : cognoissant qu'il ne pouvoit débiter sa marchandise en détail, il cherche marchand pour trocquer et la vendre en gros; s'adresse à maistre Jacques Charpentier, docteur en médecine, et trafique, à quel prix? je le laisse à penser... » Hæc autem fere eadem in senatu Ramus dixerat : — « Ramus disoit que c'estoit un nouveau monstre qu'on introduisoit en leur compagnie, d'y procéder par résignation et non par mérite; et chose encore plus monstrueuse, de voir un Sicilien gratifier de cette place un François à lui incognu : accusant taisiblement qu'en la résignation il y avoit eu bourse déliée. » Steph. Pasquier, Rech. de la France, lib. IX, c. XX.

(3) Remontrance, etc. « Il dit que bien compter et mesurer sont les fientes des mathématiques, etc. »

(4) Nimirum Carpentarius in suo professoris regii diplomate per fraudem adscripserat : *et philosophiæ*. Act. math. sec.; Cf. Remonstrance, etc.

(5) Remonstrance au conseil privé : « J'escris de rechef à la cour, et me complains que nous estions tombez de fièvre en chaud mal, et que Dampestre estoit un Archimède au prix de Charpentier. Le roy cependant nous eslargit sa patente, etc. »

(6) « Donné à Moulins, le 8 mars 1566. Registré en parlement le 2 avril 1566. » Du Boulay, t. VI, p. 652. Idem edictum latine scriptum Ramus Proœmio mathematico præfixit.

autem juxta hoc decretum ad 5 id. mart. quæstio mathematicæ professionis in prima Rami Actione (1) coram paucis senatoribus breviter proposita esset, et contra verbosissime esset responsum; 3 id. mart. quo rejecti erant, publice causa ab adversariis summa cum eloquentia dicta est (2), majori autem cum voluptate audientium (3), dum Ramus diserte tum de mathematum utilitate et dignitate, tum de examinandis regiis professoribus verba faceret, Carpentarius autem de se magnifice loqueretur (4), seque ab inimico (5) examinandum negaret. Evicit hoc

---

(1) Vid. infra Catal. op. Rami.

(2) Hæc fuit Rami Actio Math. sec. Vid. Catal. op. Rami.

(3) « Grande cause (inquit Steph. Pasquier) et deux braves champions, qui, sans ministère d'advocats, entrèrent aux champs, en présence du parlement et d'une infinité de peuple. En quoy je puis dire, comme celuy qui veis démesler ce fuzeau, que ce fut à bien assailly bien défendu, et à un beau jeu beau retour. Tous deux, parlant latin, furent ouïs par leurs bouches, avecque une admirable faculté et facilité de bien dire. » Rech. de la France, l. IX, c. XX.

(4) « Contre cecy Charpentier, qui sçavoit se jouer et de sa langue et de son esprit, ne révoqua du commencement en doubte qu'il estoit peu versé aux mathématiques.... Mais en récompense il coucha principalement de sa personne, que dès et depuis vingt ans en là, il avoit bien mérité des bonnes lettres, etc. » Remonst., etc.

(5) Hanc Carpentarii objectionem multis locis resolvit Ramus, doctrina quidem et honestate superior: « P. Ramus tibi inimicus est, ais... unde tibi a me inimicitias istas comminisci potuisti? Nec enim ullum unquam detrimentum a me accepisti: imo etiam in hac causa, privatim ac fraterne iterum atque iterum a me admonitus es, ut accederes ad professionem regiam regia via et regiis legibus definita... Octo pari virtute professores hoc examen postulant, eamdemque actionem obsignatis tabulis persequuntur: supplex libellus senatui propositus obsignata nomina continet. Et tamen, ferreo ore affirmare audes me solum adversarium esse.... Non igitur e professoribus regiis tibi solus adversarius sum, sed octo tibi sunt adversarii. Adversarii tibi sunt Euclides, Archimedes, Ptolemœus, et mathematici omnes... Neque vero ista de examine quæstio a me nunc primum excitata est: etenim decimo abhinc anno in Pœnam, meum discipulum,

quidem Ramus, ut professores regii examini publico subjiciendi prius essent, quam docere aggrederentur. Carpentarius autem a judicibus impetravit ut quam accepisset a Dampestra professionem, *per provisionem* conservaret. Curia igitur, admisso Carpentario inter professores, examen constituit hocce senatus-consulto quod magna ex parte, ad magis perspicuam rei expositionem, adscribimus :

« Entre M. Pierre de la Ramée demandeur à l'entérinement de certaine requeste du 9 mars d'une part, et M. Jacques Charpentier deffendeur d'autre. Après que du Mesnil (1) pour le procureur général du Roy a dit que. . . . .
au moyen de quoy après avoir communiqué par ensemble sur la requeste présentée par la Ramée, ont advisé et remonstré à la cour que les professeurs et lecteurs du roy sont instituez pour lire et enseigner des professions plus nécessaires et requises, comme la langue latine, grecque et hébraïque, en médecine, philosophie et mathématiques. Vray est qu'il n'y a eu aucune détermination par escrit, combien y en doit avoir d'establis en chacune des dites professions, sinon par une forme de police et observance qui semble avoir quelque chose de bon. Ne doute pas

---

examen istud a Carolo Lotharingo cardinale postulavi et impetravi. Deinde protinus post obitum Paschalii Hamelii, antequam Dampestra nominatus esset, precibus meis adductus Joan. Monlucius Valentinorum episcopus, pro sua in liberales artes liberalitate, ad regem de publico examine perscripserat... Sed ais alios a me ad examen appellatos non esse : fateor, quia nunc primum decanus sum ; neque rex antea examen imperaverat, etc. » Act. mathem. sec.

(1) Baptista Menilius, orator regius, quem meritis laudibus extulit Ramus in Act. mathemat. sec.

qu'il n'y en ait deux pour les lettres grecques, deux pour la philosophie et deux de mathématiques, laquelle profession des mathématiques est requise et fort nécessaire, en laquelle il y a moins de lumière et addresse pour y duire les estudians, ains est cette science renvoyée *ad mutos quodammodo magistros et ad privata studia*, par faute de bons lecteurs ou bien d'auditeurs qui ayent voulu et désiré y estre instruits. . . . .

Et ont bien peu de gens veu lire Euclide en cette Université, combien que à la dilligence de la Ramée il ait esté esclaircy. Vray est qu'il y a eu peu d'auditeurs, pour estre cette entreprise fort grande et dont bien peu de gens ont esté capables. Et le roy qui veut avoir un collége pour exercer les principales sciences en cette Université, ne veut pas laisser derrière les mathématiques. Oronce de nostre temps en a esté le premier professeur; après Paschalius, par sa mort Dampestre pourveu, lequel a esté conseillé de céder, pour ne luy estre cette profession à main, et en sa place Charpentier est pourveu par le roy, sur quoy y a eu quelque émeute, pour raison de laquelle on a eu recours au roy, afin d'éprouver ceux qui y entreront. Et de fait y a lettre en papier dudit seigneur pour les éprouver par les autres lecteurs du roy : lesquels assemblez ont fait entendre à Charpentier qu'il fallait subir examen, qui ne le veut souffrir, et sur quoy ils ont esté remis pour estre ouys.

« Est et consiste la question qui s'offre en deux poincts. Le premier, *de admittendo vel non admittendo Carpentario in hoc genus professionis*. L'autre, *pour sa preuve et examen*. *Ad* 1. pour son regard et omnium ju-

dicio, il a grande et longue recommandation et a beaucoup mérité, comme ses lettres et sçavoir le témoignent assez connu par un chacun ; hoc unum et solum objicitur, quod ipse confessus est (1), quia ἀγραμμάτης sit, n'ayant fait profession en mathématiques. Aussi il prend son titre de lecteur *en philosophie et mathématique.* En quoy est à craindre que la philosophie à lui fort familière ne lui fasse laisser ou discontinuer les mathématiques, qui est la place que l'on désire à présent estre remplie. . . . .
Joinct la règle commune qui veut que *ut quisque quam novit artem, in hac se exerceat*, et une autre, *ne sutor ultra crepidam*. Vray est que si Charpentier, qui a l'esprit si heureux, s'y veut exercer, en peu de temps il en sçaura beaucoup, car n'y est l'éloquence si avant requise, mais plutôt une marque et signe du doigt avec un crayon (2).

« L'autre difficulté est pour l'examen, disant Charpentier, que jusques ici l'on n'a examiné aucun pourveu d'estat de professeur et lecteur public, que néantmoins l'on veut commencer à luy, ce qui ne lui semble raisonnable, *qui jam super his probatus : deinde* ores qu'il fust sujet à l'examen, qu'il ne doit estre fait par Ramus, attendu leurs contentions *et verbis et scriptis* assez connues *pro re literaria* (3). . . . . . .

---

(1) Vid. Rami Act. mathem. prim. et Remonstrance, etc... Sic autem Jac. Carpentarius in libello cui titulus est : Ad Expositionem de methodo, contra Thessalum Ossatum, Acad. Paris. methodicum, Responsio, 1564 : « Sum ἀναλφάβητος, ἀγεωμέτρητος : agnosco hoc quoque et eo ipso te supero, quod in iis nihil magni unquam de me sum professus. » fol. 11 v.

(2) Vid. Act. mathemat. sec. ; Remonstrance, etc.

(3) Nullum tamen adhuc scriptum adversus inimicum Ramus ediderat, ut ipse palam declaravit in Act. math. sec.

» Au moyen de quoy leurs conclusions seront, après avoir par la cour ouy l'un et l'autre, ... que pour cette fois et par provision à l'advenir il y ait en l'Université deux lecteurs du roy en mathématiques, deux en philosophie, deux en médecine et deux en grec, suivant la volonté du roy. Qu'il soit enjoint aux professeurs et lecteurs du roy, faire leur devoir, sans discontinuer leurs leçons, ne s'écarter de leurs professions; et si Charpentier y entre par provision, que ce soit suivant son offre de lire et interpréter la sphère et livres d'Euclide, avec ce qui appartient et est requis pour la science des mathématiques (1).

. . . .

» Ce fait, lesdits de la Ramée demandeur, et Charpentier deffendeur présents, ouy l'un après l'autre. La cour en entérinant la requeste faite par le procureur général du roy, et ayant égard aux conclusions par lui prinses, ordonné pour l'advenir, quand aucun sera pourveu par le roy d'un estat de lecteur du roy, il sera ouy et examiné par gens à ce connaissans et expérimentez en la profession dont le poursuivant sera pourveu, en la présence de deux conseillers d'icelle, qui à ce seront commis, ensemble le procureur général du roy, ou l'un des advocats dudit seigneur. Et pour le regard de Charpentier pourveu par le roy, la cour pour plusieurs bonnes

(1) Hanc conditionem Carpentarius minime curavit, ac post decem integros menses, ne unicam quidem Euclidis lineam legerat. Vid. Remonstr. au cons. privé. Impudenter Baptistæ Menilii, oratoris regii, monita omisit, qui licet invitus, Carpentarium ad regiam professionem admittendum censuerat: « Toutes fois, dit-il, pour trois mois, non forcé; nous vous prenons au mot. » Ibid.

causes justes et raisonnables considérations, ordonne par manière de provision, et jusques à ce que autrement en ait esté pourveu, ... qu'il jouira du bénéfice de lecteur du roy, suivant ce qu'il a présentement offert et promis, à sçavoir que dedans trois mois il *commencera* (1) à lire Aristote au livre De cœlo, le livre de la sphère de Proclus, *ou bien* (2) les éléments d'Euclide et de Sacro-Bosco; et au surplus mettront ceux qui ont esté cy-devant pourveus par le roy des estats de lecteurs et professeurs royaux en cette ville, leurs provisions devers ladite cour dedans trois jours, pour icelles veües et communiquées audit procureur général et luy ouy en ses conclusions, ordonner ce que la raison pour la distinction des professeurs et de la profession qu'ils font. . . . . Le 11 mars 1565 (3). »

Hæc dimidiata Rami victoria bilem movit Carpentario qui statim libellum edidit contra ipsum Ramum quem vocat *Thessalum Academiæ Parisiensis methodicum* (4). Interea cathedra regia potitus, Aristotelem

(1) « Huit jours après cet arrest, je trouve que maistre J. Charpentier avoit icy employé la subtilité de son esprit à spécifier ses offres. Il avoit fait offre de satisfaire des mathématiques en trois mois; il insère en son arrest qu'il commenceroit dans trois mois; en quoy vous voyez qu'il fait de la fin le commencement. » Ibid.

(2) Hic quoque Davus Carpentario cedere debuisset : « En second lieu, il y avoit en sa provision une conjonctive, de lire en mathématique *et* philosophie. Il s'avise par sa logique de convertir la conjonctive en disjonctive, et met en son arrest, qu'il lirait Aristote et Proclus, *ou* les éléments d'Euclide et Sacro-Bosco. » Ibid.

(3) Id est 1566. Du Boulay, t. VI, p. 650 sqq.

(4) Du Boulay, ibid., p. 652. Quid sibi velit hoc *Thessali* nomen, ex ipso Carpentarii libello intelligitur. Vid. Jac. Carpentarii Respons. ad Exposit. de meth., etc., fol. 2 v. Subtilia quidem, sed minime vera de illo sale conjicit Goujet (Mém. hist., t. II, art. J. Charpentier).

legere cœpit, quem paulo post relinquere coactus est ob raritatem auditorum (1). Quum autem Alcinoum subinde Platonicum per menses tres legisset, Aristotelem vero et Euclidem omitteret, eum Ramus, aliis quoque de causis (2) ante privatum regis consilium postremo exagitavit, mense jan. ann. 1567, oratione sanequam gravi vernaculo sermone habita (3). Sed frustra : quamvis enim Carpentarii ignorantia tum in mathematicis, tum in græcis literis esset manifesta (4), ratione (ut opinor) annuæ possessionis

(1) « Maistre J. Charpentier a esté contraint non longtemps après de quitter son Aristote, pourtant que n'estant seulement à la quatrième partie de son livre, il se vit réduit, de deux mille escoliers qui estoient à la première leçon, à treize pauvres galoches. » Remonstrance, etc.

(2) « Ce docteur a leu les trois derniers mois depuis la Saint-Rémy jusqu'au premier jour de l'an, qui sont les principaux mois de toutes les bonnes études de l'année, a leu, dis-je, tant seulement un Alcinoüs contenant quelques ramas de la philosophie platonique, et n'a leu rien autre chose ; et pour ceste leçon, qui n'estoit ni d'Aristote, ni d'Euclide, nommez en ses offres, a exigé de chacun de ses escoliers un teston. Messieurs, pensez l'insolence de ce docteur. Il y a eu jusqu'icy au collége du roy de grandes povretez. Nous avons attendu un an, deux ans, trois ans, quatre ans, sans recevoir aucun gage. Jamais, toutesfois, ne se trouva lecteur du roy qui prinst jamais un seul denier des escoliers pour la lecture royalle, et cet apprentif, voire non apprentif, qui n'est qu'à la porte, qui n'est encore entré, et qui n'entrera jamais, si ce petit abécédaire d'Euclide en est ouy, au beau commencement va maquignonner la lecture royalle. Que feroit-il s'il estoit le plus ancien et le doyen de la compagnie?... Mais quand ce professeur de mathématiques, sans en faire profession, se voit contraint pour la troisième requeste par moi présentée contre lui : commence à faire deux leçons, l'une en mathématique et l'autre en philosophie. Mais comment maistre J. Charpentier s'en acquitte-t-il? Messieurs, il lit la Sphère du ciel d'un auteur nommé de Sacro-Bosco, qui est autant en mathématiques, comme l'on diroit Alexander de Villa Dei en grammaire, etc. » Remonstr. au conseil privé.

(3) Vid. infra Catal. op. Rami.

(4) « J'avois presque oublié l'une des singulières louanges de nostre professeur, qui entend autant en la langue grecque comme en la science des mathématiques ; et néantmoins pour persuader aux simples idiots qu'il

habita, examen a Ramo iterum iterumque postulatum (1) effugit. Sed quum muneris talibus viis obtenti puderet (2), vindictam atrociorem meditatus est. Conviciis primum adversarium ipse aut per suos afficere cœpit. Hinc infamis quidam libellus *In insolentissimum P. Rami decanatum* (3) auctore sive Carpentario, sive ejus amico Lud. Dureto, oritur. Tum publice Ramum atheismi culpa notare, Diagoram, Theodorum appellare, religionis videlicet prætextum arripiens : cujus tamen rei aliquando Carpentarium

---

estoit fort sçavant en grec, il a fait imprimer Alcinoüs en latin soubz son nom, comme s'il en eust esté le vray translateur; et sur ces entrefaites un estudiant de l'Université s'est venu complaindre à moi de ce que cette translation lui avoit esté soubstraite par ce vénérable docteur. Et pour présente preuve de cette effrontée hardiesse, voilà Euclide en grec; qu'il en interpreste une seule ligne, je veux estre tel que je le vous descris. » Remonstr., etc. — Cf. Jac. Carpentarii, Clarom. Bellov., pro sua Alcinoi interpret., adv. quemd. Logodœdalum hujus calumniat., defensio. (Isto *Logodædali* nomine Dion. Lambinus designatur.)

(1) His verbis Ramus contra Carpentarium concludebat : « A tant, Messieurs, pour toutes ces causes et raisons, que maistre Jacques Charpentier a circonvenu et abusé le roy, en insérant deux professions pour une en sa provision, a circonvenu et abusé la cour du parlement en faisant le commencement de la fin, en renversant une conjonctive en une disjonctive, a privé et despouillé le collége du roy et toute l'Université de son professeur en mathématique par l'espace de dix mois entiers, je vous requiers qu'il aye à obéir à l'ordonnance du roy, de subir l'examen, ainsi que son prédécesseur a esté contrainct, etc. » Remonstr., etc.

(2) Nempe Carpentarius in operum titulis, quæ vivente Ramo edidit, sese regium *mathematum* professorem *Euclidisque* interpretem et lectorem profiteri ne semel quidem ausus est.

(3) In Rami insolentissimum decanatum, gravissimi cujusdam oratoris Philippica prima e quatuordecim. Paris., ex typogr. Th. Brumenii, 1567, in-4° (20 fol.).—Ceterum videtur Ramus ob decanatum illum multis invisus fuisse. « Multos inimicos nuper sibi conflaverat, cum in ordine regiorum professorum velut antiquissimus, gradum et honorem decani ambiret, ac ceteris præesse præireque (ut erat laudis avidissimus) averet, et tanquam regnare inter ceteros conaretur. » Nancel. in Rami vit. p. 66.

pœnituit; nam « in carcerem ut calumniator conjectus, palinodiam canere coactus est (1). » Hoc magis in Ramum furere, nec jam publicas, sed privatas de inimico pœnas cogitare, sicarios tandem et interfectores, vel pace permanente, quærere. Scilicet missi sunt haud semel in Prælleum gymnasium armati homines, qui Ramum neci traderent : quos ipse interritus excepit, ac fortitudine aut eloquentia a tanto facinore deterruit (2). Quum autem secundo civili bello Gallia flagravit eodem anno 1567 (3), præsenti cæde occubuisset, nisi San-Dionysium, in Condæi principis castra confugisset (4). Ceterum prælii spectator, non præliator fuit; ejusque vota, ut ipse ait, pacis et togæ, non belli vel armorum fuerunt (5). Condæi igitur principis exercitum secutus in Lotharingiam, quum Germani equites quos Casimirus princeps secum ad-

---

(1) Nancel., ibid., p. 63.

(2) Duo Nancelius (ibid., p. 60, 61) exempla refert, quorum testis ipse fuit : « Memini autem, inquit, deprehensum olim ab eo (Ramo) armatum ganervem, qui in scholam furens impetum faciebat, ab eodemque in aulam manu deductum : quem demum flagris totum lacerum, totumque cruentum, supplicem a se et quiritantem dimisit, qui paulo ante sicarius minax vim inferre conabatur. ...... Alias quondam gymnasium obsederant armati plures tota academia famosi gladiatores, ac nescio qui alii ejusdem farinæ perditi nebulones ganervesque. Ramus, quem ad necem poscebant, inermis prodit, hos alloquitur placidus iratos, pacatus furentes, frigidus ardentes, et loquendo demulcet, adductoque supercilio terret, hac usus potissimum ratione : Neronem matricidam, ob interfectum Senecam præceptorem non minore dignum odio habitum apud posteros, quam ob cæsam matrem fuisse. Argumentum magnæ fortitudinis et audaciæ, tot armatis furentibus adolescentibus sese unum inermem objicere, quem confodere gladio, vel sica, vel pugione, aut globo plumbeo adigere fuerat impunitati proximum, et *vindictam poscenti* facillimum. »

(3) Die 28 mens. septembr. Vid. Thuani Hist., lib. XLII init.

(4) Rami Epist. ad Carol. Lothar., 11 cal. nov. 1570.

(5) Ibid.; Cf. Nancel., p. 71.

duxisset, promissum stipendium avidius flagitarent, negarentque se longius processuros, nisi centum millia coronatorum prius sibi solverentur, orationem apud illos habuit adeo vividam, ut aliquid de sua remitterent avaritia (1).

Tempestas sexto post mense sedata est (2); Lutetiam rediit Ramus, Prælleumque suum rursus occupavit, quamvis in absentis locum idem Ant. Muldrac, a senatu parisiensi gymnasiarcha suffectus, subiisset (3). Nihil vero in bibliotheca præter inania pulpita reperit. Reisnerus, qui Lutetiæ permanserat, e prædonum manibus mathematicas saltem commentationes averterat (4). At vix domum reversus videri poterat, cum jam tertiam tempestatem non obscuræ

---

(1) Brantôme, Hommes ill., disc. LXVI. — « Au bout de quelque temps, luy (Ramus) s'estant rendu huguenot, et estant en la compagnie de messieurs le prince et admiral au voyage de Lorraine, et leurs reistres, qu'ils avoient fait venir, ne voulant passer vers la France qu'ils n'eussent de l'argent, après qu'ils en eurent un peu touché par quelques bourcillements que les huguenots eurent faits entre eux, et que Monsieur Ramus les eut harangués, ils en furent gagnés et menés au cœur de la France, pour faire assez de maux. Ce Monsieur Ramus fut tué au massacre de Paris, dont ce fut grand dommage. » — Cf. de Thou, libr. XLII, ad ann. 1568.

(2) Die 27 mart. 1568. Vid. de Thou, libr. XLII, sub fin.

(3) Ita edixerat senatus parisiensis : « Veu par la cour la requeste présentée par M. Ant. Muldrac.... Lequel (Ramus) de rechef s'estoit à présent absenté pour ladite nouvelle opinion, et laissé ledit Poitevin ou autre en sa place, ayant intelligence avec luy, et par mesme moyen s'estoient retirés tous les escholiers dudit collége, de façon que ledit collége estoit demeuré sans escholiers et exercice, requéroit y estre pourveu. Veues les conclusions du procureur général.... Et tout considéré : ladite cour a commis et commet le suppliant à l'exercice de ladite principauté, jusques à ce que par le roy ou ladite cour autrement en soit ordonné. Le 29 janvier 1568. » Du Boulay, t. VI, p. 659. Cf. supra p. 65, note (6), et Rami testamentum, scriptum in gymnasio Prælleo, ann. 1568, cal. aug.

(4) Freig., p. 30.

nubes cœlum intuentibus monstrarent (1). Ne igitur tertio naufragio funditus periret, Carpentarii videlicet circumventus insidiis (2), impetravit a rege Carolo veniam peregrinationis annuæ, tanquam liberæ

---

(1) Ibid., Tertium civile bellum incepit eodem anno 1568, die 25 mens. septembr. Vid. de Thou, libr. XLIV, ad ann. 1568.

(2) Breviter hic repetamus quidquid ab anno 1568 ad annum usque 1570, Carpentarius ejusque socii tentaverint, ut Universitatis, Curiæ, Regi-que odium in Ramum vel absentem concitarent, callidissimis quidem parumque honestis usi artibus. Nempe, ineunte anno 1568, cum tres primarii colleg. Ramus, Joan. et Nic. Charton in Condæi principis castra confugissent, ita in eos actum est, ut ceteris primum oppressis, Ramus postremo loco eadem pœna non posset non mulctari. Du Boulay, t. VI, p. 658-659 : « Die 28 jan. (1568) Nic. Charton, D. M., Belvacensis colleg. primarius, suo primariatu spoliatus est senatus-consulto quod tale est... Paulo ante M. Joan. Dahin, primarius coll. Sancti Mich., de hæresi suspectus et fugax, coll. sui administratione ab eadem curia privatus fuerat. Actum est similiter contra M. P. Ramum, ut patet ex sequenti senatusconsulto, 29 jan. 1568 (Vid. supra, p. 65, 79). » Quum autem Universitas regi libellum supplicem contra transfugas porrigeret, « Nominati sunt qui regem adirent e Theologorem ordine *Vigor*, etc... e Medicis Varade et *Charpentier*... » Du Boul., t. VI, p. 659-660. — Rex die 3 jun. edixit, ne quis hæreticus gymnasiarcha aut professor esset (Id., ibid.). — Cum autem in absentium locum sedemque subire quidam contenderent, Mich. Hospitalius eorum diplomata regio sigillo obsignari vetuit (ibid., p. 662). Quamobrem Universitas, die 26 junii regi supplicem libellum rursus porrigit, et a senatu Parisiensi sub finem mensis julii impetrat ut quicumque munus quodlibet in Universitate obirent, « *mesmes les lecteurs du roy* », catholicam fidem profiterentur (ibid., p. 662-669). — Tertio bello civili, novum (idemque severius) adversus novatores edictum obtinuit Universitas, quod actis curiæ inscriptum est die 29 novembr. (ibid., p. 673). — Anno 1570, cum pacem Gallis brevi restituendam esse sentirent Rami inimici, curaverunt ut eum a regia professione et a Prælleo primariatu redeuntem arcerent : ideoque novum a Rege et Curia decretum adversus hæreticos impetrarunt, die 20 novembr. (ibid., p. 712-713). « Juxta hocce decretum et literas regias, rector, die 2 dec. 1570, cum deputatis egit de lite prosequenda adversus Petrum Ramum et alios Academicos fidei desertores. Et *quia ille solebat apud Regem habere patronos*, delecti die 15 ejusd. mensis *Vigor* et *Carpentarius*, qui regem adirent, curarentque denuo confirmari obtentas ab ipso literas contra fidei desertores. » Du Boulay, t. VI, p. 713. Cf. Catal. op. Rami, part. III, n. 7.

legationis, ad nobiles christiani orbis Academias invisendum (1). Sed priusquam Lutetia discederet, testamento cal. aug. 1568 scripto atque obsignato (2), mathematici studii et liberalitatis suæ præclarum testimonium reliquit. Peregrinationis autem comites duos habuit, Frid. Reisnerum (3) et Theophil. Banosium (4), quibuscum in Germaniam (quo jampridem confugere statuerat) profectus est. In extremis tamen regni finibus, « cum brevia et syrtes prætervectus sibi videretur, duodecim equites e jugo montis decurrentes animadvertit, cædemque intentantibus et *Condæi principis consiliarium* hostiliter inclamantibus ultro occurrit, et diplomate regii commeatus tantisper repressos docuit longe alio se apud regem esse numero locoque quam ipsis esset persuasum. Ter dimissus, ter repetitus, tandem velocitate summa eo pervenit ubi sicariis licentia par non esset (5). »

Deinceps tutus et lætus in Germaniam adventus bonorum ac doctorum omnium singulari humanitate et gratulatione exceptus est. Qui enim honores sum-

---

(1) Rami Epist. ad rectorem et Acad. Paris. (Collectan., p. 206) : « Impetravi a christianissimo rege... et quidem ea lege et conditione, ut Academiæ, nostri ortus progressusque parenti, rationem absentiæ meæ fructumque omni officio ac potius pietate redderem. » — Rex voluit regiæ professionis præmium vel absenti Ramo reservari. « Descharge à Pierre de la Ramée, professeur du roy en éloquence, de sa lecture ordinaire qu'il est tenu de faire, sans préjudice de ses gages et droits. » Mémorial de la cour des comptes, ann. 1571, apud Goujet, Mém. hist. et litt. sur le coll. roy., art. Ramus.

(2) Quod infra legendum proposuimus, in Appendice.

(3) Hoc quidem ex eo conjicio, quod Noribergæ opifex quidam Ramum precatus sit ut sibi Reisnerum relinqueret. Vid. Freig. in Vit. Rami, p. 38.

(4) Hoc testantur Nancelius, p. 73, ac Banosius ipse in Vit. Rami, p. 31.

(5) Freig., l. c., p. 30, 31.

mis principibus a primariis civitatibus exhiberi solent, ii sunt Ramo per aliquot Germaniæ urbes exhibiti (1), ita ut apud exteros versari non modo tutius quam apud suos, sed etiam magis honorificum fuerit.

Ut Argentinam primum attigit, Joan. Sturmius (2) Academiæ auctor rectorque, peramanter eum excepit (nuptias celeberrimas omitto, in quas quum inciderit Ramus, magno omnium applausu et lætitia exceptus est; magnaque turba honoris causa comitatus, orationes plurimas regis instar audiit). At vero cum Sturmio ipso de liberalibus studiis, de optima juventutis institutione, de præmiis ingenuarum vigiliarum, de præstantibus ingeniis ad virtutem excitandis, sermones multos variosque superiore illa lætitia gratiaque longe lætiores et gratiores habuit (3). Conradi Dasypodii benevolentiam quoque assiduam expertus est, qui bibliothecam locupletissimam Ramo aperuit, seque et sua omnia liberaliter obtulit (4).

Friburgi (5) tantum pernoctavit; attamen mane antequam discederet, Erasmum Osvaldum Schreckenfuchsium, Freigii socerum vidit, ejusque in bibliotheca sphæram æneis filis ad Copernici hypotheses artificio singulari constructam miratus est (6).

Basileam deinde Friburgo veniens, J. Th. Freigio

---

(1) Nancel., p. 73. — Hanc Germanicam peregrinat. secund. Theoph. Banosium (l. c., p. 26-31), qui sese Ramo comitem adjunxerat, et J. Th. Freigium (p. 36 sqq.) describimus. Cf. Catal. op. Rami, part. III, n. 7.

(2) Vid. Procem. mathematic., l. II, sub fin.; Præfat. Schol. in liber. artes.

(3) Banos., p. 26; Freig., p. 36.

(4) Freig., ibid. De Dasypod. vid. Procem. mathemat., l. II.

(5) Freyburg in Brisgoia.

(6) Banos, p. 27; Freig, p. 36.

professori literas soceri ipse attulit, eumque alloquio et gratia ita devinxit, ut eum pro discipulo deinceps habuerit, atque ab eodem mortuus non minore cum admiratione quam sinceritate et veritate laudatus celebratusque fuerit. Ibi Ramus aliquando commoratus, libros complures edidit aut antea editos novis typis excudendos curavit anno 1569. At illam ipse commorationem, pro singularibus Basiliensis civitatis et Academiæ meritis, postea separato opere commemoravit (1).

Tigurum (2) vero quum pervenisset (3), eum summa cum humanitate excepit Henricus Bullingerus, Helveticæ religionis clarissimus doctissimusque interpres; qui, simul atque in urbem maximum inter populi concursum ingressus est Ramus, adventus gratulator adfuit, cœnamque Ramo adhibuit, non tantum lætitia et apparatu lautissimam, sed eruditissimis convivarum sermonibus longe gratissimam et suavissimam. Hic enim erant docti viri Rod. Gualterus, Lud. Lavaterus, Wolfiusque et Stichius (ab his autem duobus privata quoque cœna exceptus est), præsertimque Josias Simlerus, cujus sermones in primis jucundam recordationem postea Ramo attulerunt. Civitas ipsa Tigurina (4) privatos

(1) Ann. 1571, in oratione quæ *Basilea* dicta fuit. Vid. infra Catal. op. Rami.

(2) Sive Turicum (Zurich): ubi post Ulr. Zuinglii obitum, Bullingerus primas in Helvetica religione facile tenuit.

(3) Bernam Freigius post Basileam indicat. Sed Ramus Bernam nonnisi sub finem illius peregrinationis præteriens vidit, teste Banosio, ipsius comite.

(4) Quam multa laude antea Ramus ornaverat, in Prooem. mathemat., libr. II.

cives æmulata, publicos philosopho nostro honores splendide instruxit : quumque attonitus rogaret an illic etiam (ut Argentinæ) nobiles quædam nuptiæ celebrarentur : « Tibi, inquit Bullingerus, nostra civitas nuptias istas apparavit (1). »

Hinc discedens, mutato (ut opinor) consilio, Rheni oras iisque vicinas urbes diligentissime observavit; cujus cursum propius longiusve Heidelbergam usque secutus esse videtur (2). Hæc ante omnes civitas Ramum honorifice tractavit; ubi non solum professores singulos atque in primis Immanuelem Tremellium hospitem suum, Hebraicæ linguæ professorem celeberrimum, sed etiam principis Palatini senatores quamplurimos amicos sibi conciliavit, inque iis theologum moribus doctrinaque primarium, Olivianum Datheneum. Princeps ipse Palatinus, primus imperii elector, aurea sui stemmatis imagine Ramum discedentem donavit (3). Commorationem autem illam Heidelbergensem, cum præclara alia permulta, tum hæc duo maxime memoriæ commendant : primo, quod Ramus ibi suam fidei professionem ediderit; deinde, quod philosophiæ lectiones, non sine doctorum admiratione et applausu, indignantibus tamen Aristotelicis, dederit, eadem constantia usus qua olim in Cameracensi schola, quum dialecticam primum auspicaretur : scilicet in Heidel-

(1) Freig., p. 37; Banos., p. 27.

(2) Banos., p. 27, 28; Freig., ibid. Hic Ramus itineris ordine mirum in modum converso, viam quam antea peragravit, repetit, sive Basileam negotii alicujus causa rediret, sive, antequam in Germaniam penetraret, Turicum vel potius Bullingerum raptim invisere meditatus fuisset.

(3) Banos., p. 28; Freig., p. 37, 38.

bergensi Academia a principali auctoritate ad profitendum adductus, æmulorum clamores invicto animo ita pertulit, ut adversarios suæ petulantiæ pudere debuerit (1). Cum autem Heidelbergæ anno illo 1570 diverteret, gallicis calvinistarum sermonibus semper interfuit, et sacræ cœnæ, edita primum fidei suæ confessione, non semel particeps fuit (2).

Francofurtum mercatu amplissimo nobile bis lustravit (3); ubi etiam honor singularis ipsi habitus est præsertim a viris doctrina ac pietate illustribus, Jo. a Clauburgo, Arn. Heingelberto, atque Jo. Ficardo (4).

Noribergam deinde (5), ad excellentes generum omnium opifices, opticæ imprimis amore abreptus est. Ibi quoque pro suo more doctissimum quemque adiit: Christianum nempe, mathematicum insignem; Steph. Prechtelum; Christoph. Hartesianum; Joachimum deinde Camerarium, medicum peritissimum, tum rara quadam bonitate tum doctrina clarissimum; suum denique hospitem Manfredum Balbanum Lucensem, adolescentem indole animi et liberalitate amabilem. Noribergæ tamen quatriduum tantum consumpsit: at quadriennium, ait Freigius, con-

---

(1) Freig., p. 34; Th. Zuinger., Th. hum. vitæ, vol. XXI, libr. IV, p. 3867, col. b.

(2) Banos., p. 31.

(3) Banos., p. 28. Silicet Ramus (ut opinor) paulo longius cum ipse Rheno processerat. Itaque eundo veniendoque Francofurtum bis invisit.

(4) Id., ibid.; Freig., p. 38.

(5) Quanquam magno separentur intervallo Francofurtum ac Noriberga, nullam tamen aliam Rami commorationem inter illas urbes Freigius et Banosius indicant.

sumere debuit, utpote in civitate tunc temporis ante omnes florentissima (1).

Dehinc Danubius, Noriberga Augustam venienti, permagnam admirationem et voluptatem sua amplitudine et rapiditate injecit. Augusta tandem (2) perplacuit, quanquam ibi non multo diutius quam Noribergæ commoratus est : illic enim unicum solis diem permansit. Interea ab J. B. Hainzelio consule primario agnitus et liberalissime tractatus est, adhibitis in convivium eruditis variæ doctrinæ convivis, sed in primis Tychone Bracheo (3), adolescente nobili Dano, cum quo post prandium in suburbanam Hainzelii villam deductus, mathematicam observandis sideribus machinam libenter aspexit; sed Tychonis ingeniosas observationes antiquorum recentiumque astrologorum inventa veluti limantes et expolientes multo libentius animadvertit. Hieronymum vero Wolfium, veterem amicum, et animo et corpore iterum atque iterum est complexus : complexus etiam suum Joan. Majorem, Wolfii in erudienda juventute Augustana socium doctissimum (4).

Vindelicis tandem, Rhetis Suevisque celeriter ob rumorem restitutæ pacis (5) peragratis, quum per

(1) Freig., p. 38, 39.

(2) Augusta Vindelicorum (*Augsbourg*), in Lico sita.

(3) Celeberrimus ille Copernici æmulus, Kepleri præceptor, natus erat ann. 1546, ideoque tunc temporis (ann. 1570) annum XV ætatis suæ agebat. Sed astra vel antea observarat, cumque Lipsiam ad alia studia excolenda a parentibus missus fuisset, Augustam primum, deinde Noribergam venerat, ut ab excellentibus opificibus mathematica et optica instrumenta perficienda curaret. Hujus astronomi vitam diligenter et accurate conscripsit P. Gassendus.

(4) Freig., p. 39; Banos., p. 29, 30.

(5) Ann. 1570, die 8 mensis aug. fœdus San-Germanicum (de Saint-Germain-en-Laye) ictum est. Vid. de Thou, lib. XLVII, sub fin.

Helvetios iter faceret, Bernam præteriens tantum vidit, nec tamen sine consulis Stegeri honorifica liberalitate, nec sine Zerquinatæ, Joan. Halleri, Bened. Aretii, P. Chiori doctissimorum hominum amica gratulatione discessit (1).

Inde Lausannam Genevamque contendit : quas civitates christiani orbis delitias esse affirmabat. Sed Genevam primum, spe patriæ pacis adductus, adiit(2); ubi sese publice professurum aliquando speraverat, sed a Theodoro Beza Genevensi professione fuerat prohibitus (3). Illic tamen, nominis et doctrinæ gratia amanter exceptus, cum doctissimo quoque, præsertim cum F. Porto Cretensi, græcarum literarum professore, de liberalibus artibus assidue collocutus est. Quum autem rogatu civium primam Ciceronis Catilinariam dies aliquot publice declamasset (4), plerique adolescentes mirifico logici *usus* studio atque amore capti et incensi fuerunt : e quibus And. Melvinum Scotum, Gilb. Montrificium item Scotum accuratius cognovit Ramus et perspexit. His licet addere Carolum Dovillæum, Franciscumque Meissonerium, qui Lausannensis et Genevensis secessus eruditum jucundumque comitem et socium nostro philosopho sese adjunxit (5). Sed ante omnes Rami doctrinam amplexus est theologus ille celeberrimus Arminius, quanquam

---

(1) Banos., p. 30; Freig., p. 40.

(2) Banos., p. 30, 31. Cf. Rami Epist. ad J. Th. Freig., Genev., 4 m. jul. 1570 : « Hic enim aut Lausannæ aut in vicino quopiam loco futurus sum. » Collectan. epist., etc.

(3) Vid. Theod. Bezæ epist. 67, 68, ap. Bayle, ibid., not. M.

(4) « Animi causa, » inquit Ramus, ibid.; Banos., p. 31.

(5) Freig., p. 40, 41.

tunc temporis puer adhuc Genevæ versaretur (1).

Geneva Lausannam profectus est Ramus, ibique eruditis professoribus amice usus, de logica sua cum omnibus illis et libere et liberaliter communicavit, sed præcipue cum Nunio, judicii liberioris homine, et Rameum illum artis *usum* præceptis omnibus anteponente. Lausannæ etiam Jacobo Anglo hospite usus est, viro cum eruditione, tum integerrimis moribus insigni. Nec privatim tantummodo docuit de conjungendis philosophiæ et eloquentiæ studiis; sed exoratus, logicæ ἀκρόασιν dies aliquot maximo civitatis et avidissimo concursu habuit (2).

Hic finis fuit Germanicæ peregrinationis : in qua nullam non solum ad Academiam, sed ne ad urbem quidem accessit, quin jucundissimam et salutantium et gratulantium benevolentiam expertus sit. A pluribus autem civitatibus ac principibus ad bonarum artium professionem avidissime et magnificis quidem stipendiis, in Italia primum, deinde in Germania ac Polonia invitatus fuit. Jam ante annum 1567, amisso Romulo Amaseo, qui mille et ducentis ducatis (3) in amplissima post Parisiensem Bononiensi Academia docuerat, Angelus Papius J. C. totius Academiæ consensu illum in demortui locum evocaverat (4). Dum autem libera legatione ad Germanicas Academias fungitur, ab Andrea Duditio Imperatoris legato, Craco-

(1) Ger. Brantius, Vit. Arminii, p. 12, ap. Brucker., l. c., cap. III, § 33.
(2) Freig., p. 40; Banos., p. 31.
(3) Rami epist. ad Carol. Loth., 11 cal. nov. 1570.
(4) Ann. circiter 1564. Vid. Rami Epist. ad Carl. Loth.; Epist. ad Bononienses, et ad Ang. Papium; Schol. mathemat., lib. III, sub fin; Freig., p. 34; Banos., p. 11; Nancel., p. 64. Cf. Bayle, ibid., not N.

viam est invitatus. Joannes Zapolius rex Pannoniæ, magna proposita mercede, Albæ Juliæ administrandæ illum præficere voluit, et chirographo regio literas obsignavit : adeo tanti viri fama omnes Europæ partes fuerat pervagata (1). Sed patriæ (2), imo philosophiæ amore, eas conditiones non accepit, Prællei sui (ut ait Banosius) dulcedine allectus et contentus, ut qui « semper philosophiæ fructum quam fortunæ maluerit. »

Nec tamen ingrato fuit animo. Dum enim adhuc Genevæ esset, *Basileam*, id est de nobilissimæ civitatis laudibus separatum opus inchoavit (3). Hanc in Germaniæ et Helvetiæ finibus tanti honoris amorisque gratiam habuit. Quum igitur magna Germaniæ et Helvetiæ parte perlustrata, ubique de rebus mathematicis, logicis, imo theologicis (4) curiose percontatus, doctissimum quemque in omni genere animo et collocutione, literis etiam (5) complexus fuisset, patriam cujus nunquam oblitus est, repetivit, pace, ut quidem videbatur, Gallis restituta, ad suamque stationem reversus est (6).

---

(1) Freig., p. 41 ; Banos., p. 11, 12 ; Nancel., p. 64.

(2) Epist. ad senat. populumque Bonon. « Sum Gallus, et Galliæ regis beneficio jam multos annos in meis studiis sustentatus : debeo patriæ primum, deinde regi meo me ipsum totum. » Cf. Freig., p. 34.

(3) Vid. Catal. op. Rami. Cf. Freig., p. 40.

(4) « Sacrarum quidem literarum semper studiosus, sed quas serio non attenderat, antequam in Germaniam proficisceretur. » Banos., p. 31, 36.

(5) Ex. gr. J. Molanus, Bremensis Acad. rector, et David Chytræus, Rostochiensi Acad. præfectus, literas ei miserunt : ad quos nequaquam venturus existimaretur. Freig., p. 41. Schegkio Ramus ultro scripserat, Tubingam nunquam venturus. Vid. Epilog. Schegk. et Collectan.

(6) Scæv. Sammarth., Elog., l. II, art. Ramus. Immerito igitur asserit Bayle (ibid.) Ramum nonnisi post habitam Basileæ orationem (*Basileam*)

Sed quum reliquum vitæ spatium in legendis publice auctoribus impendere statuisset, mali quidam homines inter quos Carpentarius eminebat, in odium reformatæ religionis novas contra eum turbas excitarunt (1). Quin alienata cardinalis Lotharingi mente, jam malevolorum sermonibus jactabatur, Petrum Ramum a cardinale spoliari, non solum regia professione, ad quam adipiscendam ipse clientem suum Henrico regi designaverat, sed Prællei gymnasii possessione, id est omnium antecedentium studiorum fructu ac mercede. Quibus auditis, Ramus ad Carolum Lotharingum cum de regia cathedra, tum de Prælleo suo *regno* (ita enim vocare solebat), literas mittit : in quibus amicitiam veterem, anno abhinc quinto prope ac tricesimo, in Navarrea schola inchoatam memorat. « Quamobrem te obtestor, inquit, per canos utriusque nostrum... perfice ne ætatum nostrarum extrema ab initiis discrepasse, neve cursus annorum nostrorum, a comicis principiis exorsi, tragicos exitus habuisse videantur (2). » In altera autem epistola, ingrati, impii, rebellis animi crimen diluit, quippe qui a vera pietate nunquam discesserit, bellorum autem spectator, non præliator fuerit, nullum denique beneficium a cardinale ultro flagitaverit. « Te, inquit, multis audientibus, præ-

ann. 1571, Lutetiam reversum fuisse. Namque oratio illa nequaquam dicta sed scripta tantum fuit, editaque Lausannæ post Rami reditum. Ceterum vid. Rami Epist. ad Carol. Loth., 11 cal. nov. 1570, quæ data est Lutetiæ.

(1) Banos., p. 31. Cf. Du Boulay, t. VI, ad ann. 1570, 1571. Vid. supra, p. 80, not. (2).

(2) Epist. prior. ad Carol. Lothar. card., 1570, in Collectan. epist., etc.

dicare memini, me unum in tua familia ceterorum familiarium dissimilem esse, quod illi assidue atque importune flagitarent, ego contra ne teruntii quidem munus ullum unquam abs te petivissem; tumque velut offensus rogasti utrum voluntati an facultati tuæ diffiderem.... Parisiensem vero professionem, accepta Bononiensi professione, si permisisses, jampridem tibi reddidissem (1). » Tum cardinalem hortatur ut metam laudum suarum colloeet : « grammatica, inquit, rhetorica, dialectica, arithmetica, geometria nostram limam subierunt: duæ de septem artibus supersunt (2): Intelligis quid abs te postuletur. Expletis vigiliarum istarum excubiis, reliqua vita sacris jam literis animo devovetur (3). »

Eodem religionis suæ studio impulsus, impetrat a rege veniam ac provinciam ampliorem, ut non solum privato studio artes meditando scribendoque illustraret, sed etiam sublatis impedimentis, reformatæ religionis cultu publico in posterum liberius frueretur (4). Theologiam autem ad ceterarum artium methodum informare, in eaque elegantiorem urbanioremque philosophiam exposcere meditabatur. Scilicet ad unumquemque theologiæ locum illustrandum, divina primum veteris novique fœderis testimonia exemplaque proponebat; sed humana ab insignibus poetis, oratoribus, historicis deprompta, minime contemnebat : non ut inde ulla religionis vel auctoritas, vel approbatio repeteretur, sed ut manifestum videretur « chris-

(1) Epist. poster. ad Car. Loth., 11 cal. nov. 1570. Cf. Nancel., p. 64, 65.
(2) Nempe, ut opinor, musica et astronomia.
(3) Epist. sec. ad Car. Loth., 11 cal. nov. 1570.
(4) Banos., p. 31.

tianam theologiam non adeo abstrusam esse, vel ab hominum sensibus remotam, quin naturali quadam luce populis omnibus illucescat, hominesque ideo humanitas ipsa ad divina studia capessendum invitet atque alliciat (1). » Hac mente vetus et novum Testamentum indesinenter legebat, et ex singulis capitibus indicem sibi conficiebat, qui præcepta atque exempla cujusque partis ad doctrinam de fide, ac de fidei actionibus, lege, precatione et sacramentis, artificiosa ratione et via complectebatur. Ita Ramus *Commentaria de religione christiana* (2) ex piorum doctissimorumque hominum scriptis tanquam thesaurum theologicum sibi comparavit (3).

Quin de Ecclesiæ disciplina scripsisset, nisi præmatura morte sublatus esset. Suam autem sententiam antea declaraverat; namque a Melchiore Adamo inter eos citatur, qui ampliorem Ecclesiæ reformationem exoptabant, quam quæ a Luthero, Calvinoque et Theodoro Beza profecta fuerat. Quorum opinio quum in Nemausiana synodo examinata fuisset (4), Theodoro Beza maxime obnitente, rejecta est (5).

---

(1) Vid. Rami Comment. de relig. christ., lib. I, De fide. Duo maxime Ramus optabat: 1° Sacras Scripturas, non solum in latinam, sed in vernaculam cujusque populi linguam verius et accuratius converti; 2° elenchum non verborum tantum sed rerum locupletissimum, methodico ordine constructum, scripturæ sacræ subjici. Cf. Procem. Ref. Acad. Paris., et Ep. ad Car. Loth., 1570.

(2) Vid infra Catal. op. Rami.

(3) Banos., p. 32. Cf. Rami Comment. de relig. christ.

(4) Mense maio ann. 1572; nihil tamen ad hoc spectat in opere cui titulus est : Histoire civile, ecclésiast. et litt. de la ville de Nisme, 1750, ubi (l. XVI, t. V, p. 66 sqq.) synodi materia exposita est. Cf. de Thou, l. LI med.

(5) Melch. Adam. in Vita Bullingeri; Ant. Teissier, l. c.

Hæc et talia meditanti sors atrox instabat : quam tamen evitare potuisset, siquidem oblatas sibi in Polonorum legatione partes accepisset. Scilicet quum Joan. Monlucius, Valentinorum episcopus, in Poloniam legatus proficisceretur (1), Ramo ut secum viam faceret, ad Henrici Andegavensis laudes decantandas, magno pretio persuadere conatus est. « At vero, ait, oportet oratorem non tantum dicendi peritum, sed virum bonum esse : nec viri boni lingua venalis esse debet (2). » Paucis autem post diebus, in Bartholomea illa protestantium strage periit, nec tamen perire debuit, nisi sub religionis specie, contra regis reginæque voluntatem et interdictum (3), privata inimicitia oppressus fuisset.

Jam biduum (4) in horrenda cæde consumptum fuerat, ipsiusque populi furor desævierat, cum sicarii mercede conducti, facto impetu Præelleum collegium oppugnant, foribusque effractis latebras perscrutantur. Ut Ramus hostes adesse intellexit, incertus quid faceret, ad celsissimum collegii cubiculum conscenderat, atque in bibliothecam perexiguam clauso ostiolo abditus, oculis et manibus ad cœlum intentis, preces instaurabat. Eo cohors armata effunditur : mortem Ramus frustra deprecatus, sibi saltem orandi veniam dari ratus, preces integrat quæ moriturum decebant. Animum igitur Deo commendans orare his verbis auditus est : « Tibi soli peccavi, o Jehova,

(1) Mense illo augusto 1572. Vid. De Thou, l. LIII init.

(2) Banos., p. 18.

(3) Nancel., p. 74.

(4) « Mortuus est itaque Ramus vicesima sexta augusti, ann. Domini 1572, ætatis vero circiter 57. » Banos., p. 35.

et malum coram te feci; judicia tua veritas et justitia. Miserere mei, et interfectoribus ignosce nescientibus quid faciant (1). » Ecce autem de duobus subornatis homicidis prior (duo enim præcipui, ait Nancelius, suam operam hosti et tragœdiæ hujus auctori locarant, sartor unus, alter vero apparitor seu lictor, quem vulgo *sergentem* dicimus), frendens ac dejerans, catapulta duplici globo ferreo armata caput orantis ferit (2). Alter quum spirantem adhuc et qua poterat voce spirituque preces instaurantem videret, ensem capulo tenus in adversum thoracem transadigit. Procumbit humi corpus hominis plusquam seminecis, et utraque vulneris parte sanguinem effundit. Prehensum latrones a pedibus per cubiculum trahunt: tractum caput et solo et pavimento et transversis trabibus illiditur, cruentis vestigiis per annos plures facinoris immanitatem testantibus. Additur sceleri scelus, et nequitiæ et crudelitati solertia. Abreptum grave corporis onus e fenestra in aream præcipitant, ab altitudine graduum circiter centum devolutum (3). Tum licet effusis visceribus (4) informe tantum cadaver superesse videretur, nondum exsatiata hostium crudelitas genus etiam aliud supplicii excogitat: pedibus fune devinctis, per urbis vias corpus devolvitur, et capite a chirurgo quodam amputato, reliquum truncum in Sequanam flumen indigne projicitur (5).

---

(1) Banos., p. 34; Cf. Ant. Teissier, Élog. des h. sav., t. II, l. c.

(2) Nancel., p. 75: « Utroque tamen globo in pariete objecto alta imprimente (quæ et vidimus et palpavimus ipsi) vestigia. »

(3) Id., p. 75, 76. Cf. Scæv. Sammarth., Elog., l. II, elog. P. Rami.

(4) De Thou, lib. LII, sub fin.

(5) Banos., p. 35; Scæv. Sammarth., ibid.; Nancelius, p. 76. Percus-

Hic fuit exitus P. Rami (1), quem nullus non deplorare philosophus sustineat (2); hac morte suam religionem obsignavit (3), aut potius suum rei literariæ studium. Neminem nempe fugit quis cædis istius auctor fuerit. Carpentarium indicant omnes : hunc Rami discipuli (4), hunc gravissimi historici, Pasquier, de Thou (5), hunc sua ipsius violentia non Ramo tantum, sed et Dionysio Lambino fu-

---

sores autem Rami divinam humanamque ultionem non effugerunt : « quorum ducem et antesignanum contigit intra paucos menses acerbissimo tibiæ in gangrænam putrentis dolore extingui; alterum vero eodem anno mucrone confodi; cum tertius a multis quotidie ad necem expeteretur : cujus de eventu nihil certum comperi. » Nancel., p. 77.

(1) « Voilà quel fut le sort d'un homme qui, à défaut d'une grande profondeur et d'une originalité puissante, possédait un esprit élevé, orné de plusieurs belles connaissances, qui introduisit parmi nous la sagesse socratique, tempéra et polit la rude science de son temps par le commerce des lettres, et le premier écrivit en français un traité de dialectique. » V. Cousin, *Vanini*, etc., p. 4. Cf. Voltaire, Dict. phil., l. c.

(2) Pauci homines, ut opinor, hæc Gilb. Genebrardi theologi verba æquo ferent animo : « Postero die, inquit, de aliis pœnæ sumptæ. Inter eos P. Ramus Verom., turbulentæ vitæ et sui in linguas, artes, disciplinas, theologiam denique ipsam furoris supplicium dedit. » Chronolog., Paris., 1600, p. 776. Quid autem de hisce Carpentarii verbis sentiendum : « Clarissimus sol idemque *suavissimus* Galliæ illuxit..... *superiore mense augusto.* » Platonis cum Arist. compar., 1573, in Epist. ad card. Lotharing., ibid., jan. 1573.

(3) J. H. Alstedius, Thesaur. chronol., ed. 1637, in quinto testium veritatis ordine, inter præcipuos *martyres* P. Ramum post Colinium designat, p. 376.

(4) Scæv. Sammarthan. Elog., l. II, elog. P. Rami; Nancel., l. c.; Freig., p. 42; Banos., l. c.

(5) Steph. Pasquier, Rech. de la France, lib. IX, cap. XX, sub fin. « Charpentier ayant avecques la résignation de l'Italien (Dampestre) couvé dedans son âme une vengeance italienne six ans entiers, fit, ainsi que l'on dit, en l'exécution de la journée Saint-Barthélemy 1572, assassiner Ramus par gens de sac et de corde, à ce par lui attitrez. »—De Thou, lib. LII, sub finem : « Carpentario æmulo et seditionem movente; immissis sicariis. » Cf. Alsted., ibid., p. 479; Varillas, H. de Ch. IX, l. IX; Daniel, Hist. de France, t. X. p. 498; Davila, De bell. civil. gall., ad ann. 1572.

nesta (1), denuntiant. Hujus memoriam quis est qui non exsecretur?

Nobis autem cavendum est ne obliti qua sub conditione militare philosophia soleat, de honestissimi viri morte præter modum indignemur. Quanquam, per Deum immortalem, horrenda sane et odiosa illa fuit! Sed recte Freigius : « De mortis, inquit, genere querendum mihi non existimo, quum non ignorem quid Socrati, quid Ciceroni, quid Christo ipsi Domino nostro acciderit. » Scilicet ita res humanæ a divina geruntur providentia, ut veritas nonnisi maximo cum hominum labore his in terris appareat, suique amantes virtus semper in certam perniciem trahat : tantæ molis est hominibus cum veritatem persequi, tum ad virtutis fastigia se gnaviter extollere! Quod quidem probe intelligebat Ramus, quum diceret : « Quæ (dimicatio) quamvis experienti dura et acerba accidit, attamen recordanti grata est et jucundæ cujusdam voluptatis plena : meque per Syrtes et inhospita regna jactatum esse lætor, ut jactura nostri discriminis, navigatio vobis in posterum expeditior esset ac fructuosior (2). » Quod autem ille de alumnis suis et auditoribus, id de posteris multo etiam verius prædicare debuit : quos in humaniorem judicii libertatem, quantum in ipso fuit, vindicavit (3).

---

(1) Vid. supra, p. 77, 78, not. (2). — De Dionysii Lambini morte satis constat. De Thou, ibid.; Davila, ibid.; Cf. Sc. Sammarth., Elog. D. Lambini; Ant. Teissier, Elog. des h. sav., art. D. Lambin. Vid. præterea ipsius Carpentarii Epistolam ad Logodædalum (Lambinum), 1571.

(2) Orat. de sua professione.

(3) Bibliothecæ Rami direptionem, quoniam atrociora narranda essent,

Hujus vero qui animi mores corporisque habitus fuerint, res postulat ut ex Theophilo Banosio, ejus discipulo, repetamus. Sic autem ille in P. Rami vita (p. 16-19):

« Corporis statura fuit grandis, æquabilis et vere heroica, vultu semper ad cœlum erecto, generosæ naturæ minime dissimili et pulcherrimo; oris venustas non vulgaris; vocis, motus, laterum, pectorisque magna elegantia (1). Victus ratio erat carnium plerumque elixarum; parcius in prandio propter diurna studia, largius in cœna vescebatur : a qua per tres horas deambulabat et cum amicis hilariter colloquebatur (2). Ante gallicinium semper surgebat, et totum diem scribendo (3), legendo et meditando consumebat (4). Patiens fuit laboris (5), et discendi avidus : etenim non erubescebat a doctoribus et discipulis multa in dies quærere, et laudis aculeo proposito ad virtutem omnes cohortabatur. Voluptatem tanquam malorum omnium escam, et reipublicæ literariæ pestem fugiebat. Nocte decumbebat super stramine : plumas in lecto etiam peregre proficiscens ferre non poterat (6). Abstemius fuit viginti annorum

consulto prætermisimus. Quam diligentius enarraverunt Banosius, p. 35, ac præsertim Nancelius, p. 21, p. 29-31, p. 78, 79. Cf. Louys Jacob, Traité des plus belles bibliothèques publiques et partic., etc., part. II, cap. 84, p. 506 sqq.

(1) Cf. Nancel., p. 47, 48, 55; Freig., p. 9; Joach. du Bellay, Pétromachie; Brantom., Hommes ill., disc. 66.

(2) De Rami victu vid. Nancel. (p. 49, 51), qui quotidianum Rami prandium cœnamque fusius descripsit.

(3) Nancel., p. 50, 61 : « Pessime pingebat. » Cf. Scalig., l. c.

(4) Cf. Nancel., p. 49 sqq.

(5) Cf. Nancel., p. 62.

(6) Cf. Theod. Zuinger., Th. hum. vitæ, vol. II, l. V, p. 416, col. b; Freig., p. 35; Nancel., p. 51.

spatio (1), et vinum nunquam bibisset, nisi ex medicorum sententia ad valetudinem conservandam necessario utendum fuisset (2). Cœlebs vixit honestissime, ab scortationis non tantum crimine, sed etiam suspicione semper immunis (3). Colloquia obscœna, utpote quæ bonos mores corrumpant, tanquam toxicum fugiebat. Hanc continentiam in victu et temperantiam vitæ consecuta est integritas valetudinis, rarissimeque gravi morbo laboravit (4), nisi ophthalmia, quam credibile est ex vigiliis immodicis contraxisse (5). Inedia et exercitatione, præsertim parva pila, non medicamentorum usu, solebat sanitatem tueri et recuperare (6). Constantia porro et animi magnitudo fuit in Ramo incredibilis : in rebus siquidem prosperis non insolescebat, et in adversis nunquam animum remisisse visus est, illudque sæpe in ore habebat,

. . . . . dabit Deus his quoque finem.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.

---

(1) Theod. Zuinger. (ibid., p. 408, col. b) narrat quam ob causam Ramus vino per viginti et amplius annos abstinuerit. Cf. Freig., p. 35, ac præsertim Fr. Dinet, Le Théâtre de la nobl. franç., t. II, l. III, c. 9, p. 148-149.

(2) Nancel. (p. 49, 51) nunquam mero usum fuisse Ramum testatur, sed vino bene diluto. Cf. Theod. Zuinger., Theatr. hum. vitæ, vol. II, l. IV, p. 843, col. a; Nancel., p. 16, 17.

(3) Cf. Freig., p. 35; Nancel., p. 51 et p. 58 : « Vitam cœlebs Ramus traduxit omnem, quia Lutetiæ gymnasiarchis uxorem ducere ex Academiæ legibus interdicitur. »

(4) Vid. Nancel., p. 55, 56 : « Vidi tamen frequenter catarrho obnoxium, vix ut posset eloqui, ideo ne publice quidem legere aut profiteri. » Cf. Freig., p. 35.

(5) Cf. supra, p. 8. « Quæ ophthalmia illi potissima radendi capitis occasio, et saluberrima (sicuti adstantibus nobis sæpe retulit) curatio fuit. » Nanc., p. 16.

(6) Cf. Nancel., p. 54, 55.

«Quid patientiam ejus(1) in ferendis et condonandis adversariorum contumeliis recenseam? Quibus nihil unquam respondisse (excepto uno Schegkio Germaniæ philosopho, idque gravissimis de causis) certum est (2)... Acceptas injurias ultus est nunquam, sed socratica, et, ut melius dicam, christiana tolerantia et benignitate erga adversarios usus est (3). Φιλάνθρωπος et humanus fuit, alienus ab avaritia et assentatione: nec suavis fuit Ramo lucri odor ex re qualibet... Eloquentia (4) ad quæstum non est abusus (5), sed sudore et labore corporis animique proposita sibi studia sustentavit. Eloquentiam Dei donum et prophetiam sanctam vocabat : neque oratorem mentiendi artificem esse, libro secundo *Commentariorum*, cap. 2, scripturæ sacræ testimoniis comprobat. Quæ autem fuerit ipsius erga pauperes ἐλεημοσύνη, testantur hodie plerique quos in bonis literis educandos sumptibus suis curavit, memor reginæ illius Carthaginis,

---

(1) Vid. Freig., p. 34, 35.

(2) Cf. Freig., p. 34; Nancel., p. 66, et ceteros vitæ Rami scriptores. — Constat tamen respondisse Ramum, primum Turnebo (vid. Catal. op. Rami), deinde Jac. Schegkio (ibid.), tum (ut conjicit Nancelius, p. 66) Theodoro Bezæ Vezelio, in Epist. ad T. B. V.

(3) Cf. Nanc., p. 59-60, et Freig., p. 34, 35.

(4) Cujus testes multos adducere possemus. Ut autem Freigium, Banosium, Sammarthanum omittamus, non desunt alii multi qui magnopere Rami eloquentiam admirati fuerint, ut Pasquier, Brantôme, etc. Steph. Pasquier, Rech. de la France, l. IX, c. XX, in Ramo laudat « une admirable faculté et facilité de bien dire. » Brantôme (l. c.) plura etiam memorat : « ...Monsieur Gallandius Torticolis en l'art d'oratoire; mais Monsieur Ramus, son ennemy, le passoit, qui estoit un fort disert et éloquent orateur : et peu s'en est-il veu de semblables; car il avait une grâce inégale à tout autre, qui secouroit davantage son éloquence... Monsieur Turnebus fut aussi un très-savant homme en grec et en latin, mais non qu'il eût telle piaffe de parler en seigneur, comme Ramus. » Cf. Nancel., p. 48, 61.

(5) Vid. supra, p. 93.

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

» Solebat enim in patriam proficiscens bonæ indolis juvenes pauperes suis sumptibus fovere, eosque in Academia Prællea bonis informabat disciplinis : ex quorum numero plerique supersunt viri doctissimi, qui Ramum Mæcenatem et parentem suum agnoscunt, et defunctum amore non mediocri prosequuntur (1). Prælleum ædificavit splendide (2) : et suppellectile munda vestibusque ornatis (3) utebatur, mediocritatem laudandam secutus, de qua Horatius.... Harum omnium virtutum custos fuit pietas, qua patriam (4) et parentes unice amplectebatur. Matrem enim viduam, selectissimam matronam, apud Veromanduos agentem, frequentissime cum muneribus invisebat, illamque Lutetiam sæpius evocavit, et coram amicis honestioribus omni officiorum genere coluit et observavit. Recordatus est etiam beneficii quod avunculus contulerat, quem seniorem alendum pie curavit. Quæ quam vera sint.... ex Rami testamento, quæ fuerint ipsius egregiæ virtutes adversarii etiam doceantur (5). »

De religione Rami pauca dicam, sed quæ facile demonstrent quanta ille erga Deum pietate usus fuerit. Dum enim in Romana Ecclesia esset, missæ quotidie interesse solebat, et catholicæ religionis erat ob-

(1) Inter quos Nancelius, ut ipse profitetur (ibid., p. 17, 52).
(2) Cf. Nancel., p. 58.
(3) Cf. Nancel., p. 53, 54.
(4) Vid. Freig., p. 34, et Ramum ips. in Præfat. De mor. vet. Gall.
(5) Vid. infra Rami testamentum. — Ad illa Banosii adj. Nancel., l. c., p. 61-62, et ejusd. Theses, p. 8.

servantissimus (1). Postquam autem ad protestantium partes nec leviter quidem sese convertisset, nullo metu, nulla periculi specie a proposito deterritus, novam religionem quam amplexus erat, agendo, scribendoque diligenter illustravit (2).

Hæc sit morum et vitæ Rami laudatio. Jam ad ipsius doctrinam veniamus necesse est.

---

(1) Banos., p. 24 ; Nancel., p. 53 et pass. Vid. supra, p. 59.

(2) Banos., p. 24 sqq. ; Freig., ibid. ; Nancel., p. 46. Vid. Catal. op. Rami. — La Croix du Maine, Biblioth. franç., art. Pierre de la Ramée : « Je l'ai dit... pour avoir connu par la vie qu'il a démenée sur la fin de ses derniers jours, qu'il n'avoit point l'âme autre que d'un homme de bien et vivant en la crainte de Dieu. »

PARS POSTERIOR.

DE P. RAMI PHILOSOPHIA.

Duplex omni tempore fuit philosophorum genus. Alii enim, dum fontes philosophandi omnes exhaustos putarent, se non aliter philosophari posse nisi electa certa, quam unice amplecterentur, secta arbitrati sunt; alii contra, quum sectarios illos homines interpretes magis esse philosophorum, quam vere philosophos, nulla autem Græcorum doctrina veritatem omnem contineri agnoscerent, libertate quæ hominis intellectum decet usi sunt, novamque aliam viam tentandam, meliusque philosophandum esse statuerunt. Hi vero, ut omni tempore, ita in recentiori ætate pauciores fuerunt : inter quos unus in sexto decimo seculo Ramus eminuit. Sed quum Aristotelicis Socratis maxime Platonisque nomine repugnaverit, inde factum est ut frequenti platonicorum numero a plerisque historicis adscriptus fuerit (1). Quisquis autem tempus ipsum quo vixit Ramus, at-

---

(1) Morhof., Polyhist., t. II, l. I, c. 7, n. 17; Tennemann, Geschichte der Philos., t. IX, p. 420 sqq. V. Cousin, *Cours*, *deux. série*, t. IX, lect. X, p. 269 sqq., etc. Haud ita sensit Bruckerus, qui unum Ramum ante Cartesium in Gallia libere philosophatum fuisse asseverat (Hist. crit. phil., Per. III, part. II, l. II, c. I).

tente respiciet, veram subinde Rameæ philosophiæ indolem deprehendet, et quæ fuerit illa Rami cum Socrate et Platone cognatio facile intelliget.

Fuit nempe sexti decimi seculi philosophia non admodum ab illa dissimilis, quam Socrates olim in Græcia offenderat. Tunc enim cosmologica rursus vigere systemata, haud alia exstructa ratione quam Democriti veteris aut Parmenidis doctrinæ; tunc etiam sophisticæ declamationes, et in veræ philosophiæ locum inanes argutiæ jamdudum subire cœperant. Eidem malo remedium idem adhibendum fuit. Scilicet si non a cœlo, at certe a nubibus rursus erat avocanda philosophia, ad usumque vitæ reducenda; fugandæ erant hypotheses cosmologicæ, veraque et utilis instauranda ratiocinandi methodus; at in primis argutias omnes sterilemque sophisticam expellere opus erat. Quæ quidem omnia quum Socrates olim perfecerit, Ramus in consimili tempore versatus, sapientiaque illa socratica imbutus, eadem fere omnia, minori quidem ingenio, sed pari constantia tentavit. Hac enim mente inductus, ut sincerum philosophiæ usum rationemque veram libere cogitantibus restitueret, veterum philosophorum, Aristotelis in primis auctoritatem, quæ potissimum sibi objiciebatur, labefacere aggressus est; ut qui eum tam acriter Aristoteli obniti viderent, anti-peripateticum, ardentemque platonicæ sectæ fautorem potius quam veræ philosophiæ studiosum esse censerent. Neque recte tamen, si Ramo ipsi creditur, quum sese neque platonicum, neque aristotelicum esse affirmet his verbis : « Scripsit nuper quidam a P. Ramo methodum platonicam probari, aristotelicam contemni. Hic vir,

alioqui nec malus nec indoctus, P. Rami logicam de methodo nunquam legit. Petrus enim Ramus Platonis Aristotelisque, sicut Hippocratis et Galeni omniumque omnino artificum, methodum unicam esse demonstrat, eamque sequitur, et ab imperita methodorum multitudine vindicat. Quid multa?.... Hanc in *Scholis* Virgilianam, Tullianam, Homericam, Demosthenicam, mathematicam, philosophicam, omnibusque hominum consiliis judiciisque usitatam, non ab Aristotele vel a Ramo somniatam esse cupio (1). » Liber igitur ab omni cujuslibet sectæ studio, nulliusque addictus jurare in verba magistri, diligentiam, curam, mentem denique totam adhibuit in artium liberalium usu exquirendo, in supervacuis argutiis secernendis. « Id enim vigiliis et laboribus Rami propositum fuit, e via ingenuarum disciplinarum spinas, silices, ceteraque studiosæ juventutis impedimenta tollere, ut iter planum, expeditum, directum esset, quo facilius ad laudandarum doctrinarum non intelligentiam modo, sed utilitatem et fructum perveniretur (2). »

Liberalis autem disciplina nulla fuit, quam non diligenter excoluerit (3); imo nulla fuit, quam non methodo et inventis illustraverit : quæ quidem omnia intuenti magna injicitur tanti viri admiratio.

In grammatica enim, quanquam multa nimis tur-

---

(1) Schol. in lib. artes, Præfat., 1569.

(2) Oratio de sua profess., 1563.

(3) Steph. Pasquier, Rech. de la France, l. IX, c. 18 : « Cestuy-cy (Ramus) d'un esprit universel, comme on recueille par ses œuvres, concernant tant les lettres humaines que philosophie. »

bavit (1), at certe multa quoque et præclara quidem instituit : nempe accuratiorem in scholas introduxit pronuntiationem, qua ipse in orando excellebat (2); literas novas *j* et *v* pristinis literis adjecit, quæ *Ramistæ consonantes* jure vocatæ sunt (3); præceptorum etiam numerum minorem fecit, unumque *usum* loquendi normam esse professus est (4). Postquam autem græcam linguam cum latina primus in docendo conjunxisset (5), multisque præterea modis de utraque bene meritus esset, vernaculo quoque sermoni strenuam navavit operam, quum eum severioribus legibus et syntaxi perfectiore instruere tentaverit (6), eoque ad philosophiæ et mathematicarum artium, imo ad ipsius grammaticæ expositionem haud semel usus fuerit (7), versionesque Scripturæ Sacræ gallicas constanter expostulaverit (8).

Nec minus ei rhetorica debuit : in hac enim arte, cum exquisitis prælectionibus ac præceptis, tum

---

(1) Præsertim in ea grammatica quam de gallico sermone vernacule conscripsit. Vid. Catal. op. Rami.

(2) Nancel., in Vit. Rami, p. 38, 39; Freig., in P. Rami Vita, p. 33, etc. Cf. D. Lancelot, Méthode grecque, in præf., § IX.

(3) Freig., p. 28, 24. Vid. præsertim Nancel., l. c., p. 39-40 ; Ramum ips. in Schol. grammat., l. II med. : De sonis liter. Cf. Goujet, Bibl. franç., part. I, c. II; Phil. Papillon, Dissert. sur l'*j* et l'*v* consonnes, etc.

(4) Schol. grammat., passim.

(5) Nancel, p. 15, p. 36-37 : « Accidit ad laudes Rami etiam illa non parva, quam proposui, quod primus ac præcipuus auctor fuerit, ut in gymnasiis simul græca cum latinis explicando jungerentur : cum ante hunc, solam linguam latinam gymnasia amplecterentur, græcam ab regiis professoribus, rari et jam adulti peterent. »

(6) D. Lancelot, Méthode grecque, in præf., § III.

(7) Vid. Catal. op. Rami.

(8) Vid. Adv. sur la Réform. de l'Univ. de Paris; Epist. complures ad Carol. Loth.; Comment. de Relig. christ., lib. I, et passim.

exemplo potissimum excelluit, quippe qui non solum maximam sui admirationem auditoribus injiceret, sed et adversarios elegantiorem dicendi rationem doceret (1). Veterum autem imitationem proposuit, scriptisque suis et orationibus maxime commendavit. Neque vero facile credam tam disertum oratorem veram rhetoricæ artem ignorasse, ut quidam temere contenderunt (2). Ea sedenim fuit Rami rhetorica, quæ Ciceronis et Quintiliani fuerat, hoc uno excepto, quod Ramus logicas rhetoricæ partes, inventionem, judicium, ad logicam referret, artiumque liberalium confusionem in Cicerone ac Quintiliano acerrime reprehenderet, Ciceronisque artem Ciceronis *usu* corrigendam et emendandam esse moneret (3). Sed dum aliquid de rhetorica detrahere videretur, id ipsum logico usu reformabat; neque in usu separari artes, sed eloquentiæ et philosophiæ studia conjungenda esse profitebatur (4). His artibus rhetoricæ disciplinæ viam, ut breviorem et faciliorem, ita rerum veritati magis congruentem docuit, ut qui secundum Ciceronis sententiam, « omnium artium, quæ ad rectam vivendi viam pertinerent, rationem et dis-

---

(1) Nancel., p. 19-20, p. 31, etc. Cf. Scæv. Sammarth. El., l. II; Banos., l. c.; Freig., p. 33, etc.

(2) Vid. Menag., Anti-Baillet, p. 182, col. a : « Ramus n'entendoit point assez l'art d'enseigner l'éloquence, etc. » Cf. ibid., p. 206 sqq.

(3) Præf. Scholar. in lib. artes. Vid. Cicer., Rhet. ad Her., I, 2, et Orat. partit., c. 1 et sqq., ubi ad oratoris vim requirit non elocutionem modo et actionem, sed etiam inventionem dispositionemque sive collocationem, « earumque rerum omnium custodem, memoriam. »

(4) Vid. Brut., c. 6 : « Dicere nemo bene potest, nisi qui prudenter intelligit. Quare qui eloquentiæ veræ dat operam, dat prudentiæ. » Cf. Orator., pass., et Tuscul. quæst., l. I, c. 1.

ciplinam studio sapientiæ contineri » censeret (1).

De dialectica Rami separatim loquar, postquam de ceteris disciplinis perpauca dicta fuerint.

Mathematicas in primis artes coluit, ut supra diximus. Libros complures, eosque mathematicis minime contemnendos de arithmetica (2), geometria (3), algebra (4), atque in universæ matheseos laudem et instaurationem Scholas mathematicas (5) conscripsit. In his autem libris nimius licet brevitatis amor et compendiaria nimis scientia jure reprehendatur, eo tamen laudandus est Ramus, quod in illis artibus perspicuitatem ordinemque meliorem expostulaverit, et in astronomia hypotheses præter necessitatem fingi vetuerit (6). Hunc igitur quindecim et amplius annorum labor, hunc tam multi de rebus mathematicis libri hujus scientiæ peritis commendant, præsertimque regia illa cathedra tam liberaliter ipsius impensis fundata (7).

Physicos quoque Aristotelis libros illustrare aggressus, iis vel imminente morte operam dedit (8). Hinc

---

(1) Tuscul. quæst., l. I, c. 1 init.

(2) Vid. Catal. op. Rami. — Sic G. Naudæus, circiter ann. 1625 : « Dans le choix des livres, il faut tenir compte du succès si inégal qui se fait remarquer entre les uns et les autres, comme par exemple entre l'arithmétique de Ramus et celle de Forcadel, le prince de Machiavel et celui de plus de cinquante pédants. » Advis pour dresser une biblioth., c. IV.

(3) Vid. Catal. op. Rami. Cf. Niceron, t. XIII, art. Ramus.

(4) Ibid. In hac quidem scientia minus quam in arithm. et geom. Ramus profecit. Multum tamen hic quoque contulit ad tantam illam, qua gloriantur hodie mathematicæ artes, perspicuitatem.

(5) Vid. Catal., etc.

(6) Schol. math., lib. II, p. 47.

(7) Vid. infra testamentum Rami.

(8) Scholas physicas ann. 1562, inter fugam mortisque minas diversis in locis conscripsit. Vid. supra, p. 65.

etiam hypotheses expellere in animo habuit (1); sed forsan turbata nimis mente ad id operis se accinxit, suaque ipse methodo impeditus, dum discere simul et docere properaret, res tantum strictim attigit ac delibavit; in physicis autem syllogistica ratione usus, hoc quoque inveteratum et a Cartesio postea celebratum, Aristotelis et sua confirmavit auctoritate; quam methodum vel in medicina adhiberi jubebat (2), omissa videlicet illa inductionis vi de qua tam multa Baconus tamque magnifica in Novo Organo prædicavit.

Metaphysica porro studia, si Rapino jesuitæ creditur, Ramus abolere voluit (3) : ridiculum sane crimen et absurde inventum, siquidem eas ille doctrinas, quæ ad hominis naturam et ad summam Dei gloriam spectant, semper celebraverit. Nullum quidem systema exstruxerat, *Scholis* contentus *metaphysicis*, quibus Aristotelem et Aristoteleos severius urgeret (4). At quidquid vel in Aristotele pulchrum, excelsum, generosum legitur, Ramus non modo libenter, sed etiam avidissime amplexus est. Quum autem omnium artium fines ad humanæ vitæ fructum referendos esse statueret, inde factum est ut theoreticam me-

---

(1) Vid. Schol. in liber. artes, Præfat.; Schol. physic., Præf.

(2) Adv. sur la réf. de l'Univ. de Paris; Schol. math., l. II, pass. Hæc tamen Nancel., p. 34 : « In medicis unum fere Galenum legerat, neque eum totum, sed præcipue libros de methodo medendi. » Cf. Cat. op. Rami.

(3) R. Rapin, Réfl. sur la métaph., § III. « Ramus eut un grand mépris pour la métaphysique, en quoi il paraît peu judicieux. Il voulut joindre au corps de la philosophie la connoissance des arts libéraux, pour en retrancher la métaphysique plus impunément. »

(4) Vid. Præfat. Scholar. in lib. artes; tum Præfat. Scholar. metaph.; et præsertim Schol. metaph., l. XIV sub fin.

taphysicæ partem negligere visus fuerit; quod tamen eum non ex industria ac consulto fecisse manifestum est.

Ethicas artes eodem logicæ usu illustrare profitendo aggressus, Aristotelis ethica (1) et politica (2) in latinam linguam elegantius vertit. Jurisprudentiam quoque instaurare et ab inutili legum multitudine liberare in animo habuisse videtur (3). Quin etiam in eo erat ut totum humanarum artium curriculum absolveret, quum immaturo exitu e vivis sublatus est.

Sed quoniam omnes artes ac disciplinas unius logicæ facultatis fructum esse arbitraretur, dialectica autem præcipua laus Rami apud philosophos omnes fuerit, operæ pretium est quidquid ille in logica et methodo reformaverit expendere. Hoc enim fuit reliqui laboris principium et fons. Quæramus igitur utrum jure ab auctoribus quibusdam Ramus Bacono et Cartesio, logicæ restauratoribus, adjunctus fuerit (4).

Quum duplicem Ramus in docendis et tractandis disciplinis rationem instituerit, alteram ἀποδεικτικὴν sive demonstrativam, alteram ἐλεγκτικὴν sive reprehensoriam, duplex ideo in dialectica propositum ante oculos habuit, ut refutatis contrariis philosophorum opinionibus, sua ipsius placita demonstraret. Quid

(1) Vid. Catal. op. Rami. Nancel., p. 35 : « Ethicen ac physicen minus accurate persecutus est, quanquam de utraque aliquid commentatus, etc. »

(2) Vid. Cat. op. Rami. Cf. Barth. Saint-Hilaire, Politique d'Arist., Præf., pp. C–CIV.

(3) Vid. Catal. op. Rami. Cf. Schol. math., l. II sub fin.

(4) Vid. Dissert. de tribus logicæ restaurat., Ramo, Verulamio, Cartesio, Ienæ, 1712.

autem potissimum in Aristotele et scholasticis doctoribus reprehenderit, ex Animadversionibus Aristotelicis et Scholis dialecticis facile colligitur.

Id operis Ramus ante omnia sibi visum fuisse declarat, ut Academiæ Parisiensi scholastici morbi, quo illa maxime laboraret, medicinam afferret, philosophiamque et bonas artes ab inveterata servitute liberaret. Prima itaque cura fuit in eum invehi, cujus inviolata auctoritate freti scholastici sophistæ omnem scientiarum instaurationem diutius prohibuissent. Hinc audacissima illa thesis ad obtinendum magisterium a Ramo proposita; hinc Aristotelicæ animadversiones et Scholæ dialecticæ, quibus Aristotelem, vel potius Aristotelis simias acerrime lacessit. Aristotelis enim methodo sinceriori se addictum esse profitetur (1). Quum igitur secundum Stagyritæ philosophi præcepta logicam ipsius doctrinam expendat, ideoque generalem primum logicæ definitionem requirat (2), nullam in tot logicis organi libris reperit (3). Logicæ autem finem in demonstratione positum esse peripatetici falso contendunt (4); nam Aristotele ipso auctore, logicæ sive dialecticæ finis est bene disserere (5), cujus subjectum et partes male a scholasticis definiuntur, quum non syllogismi præcepta tantum, sed omnia disserendo tractari possint (6), dialecticæ autem partes legitimæ, inventio et ju-

(1) Schol. dial., lib. I, c. 1 init.
(2) Ibid., lib. II, c. 1.
(3) Animadv. Aristot., l. I, p. 6 sqq.
(4) Schol. dial., l. II, cap. 5.
(5) Ibid., l. II, c. 6.
(6) Ibid., cap. 7. Cf. Aristot. Metaphys., lib. IV, c. 1.

dicium, nusquam ab Aristoteleis doceantur (1) : excusandis quidem, si Aristotelis obscuritatem attenderis (2).

Absoluta autem de dialecticæ definitione et partibus disceptatione, jam in singulis dialecticæ capitibus Ramus peripateticos et ipsum Aristotelem mordere minime dubitat. Duo in primis vitia in Organo constanter reprehendit : obscuritatem nempe et confusionem (3); quarum causas esse præcipuas asserit, quod Aristoteles neque definitione, neque divisione, neque splendidis exemplis in ulla logicæ parte usus fuerit, omniaque non ordine, sed promiscue tractaverit (4). Longum sane foret exponere qua ratione doctrinam peripateticam de terminis, categoriis, interpretatione, syllogismo, demonstratione, topicis, sophisticis elenchis evertere Ramus aut potius emendare conatus fuerit. Ut vero reliqua animadversionum et reprehensionum capita omittam, hoc in *Analyticis* vituperat Ramus, quod inventio, dispositio, et si qua alia logicæ pars fuerit, ordine minime tractata, sed densissimis tenebris obscurata fuerit (5), quum syllogismi proximum genus, id est dispositio, nusquam definiatur (6), de simplicis autem et conjuncti syllogismi partitione in toto logico organo nullum verbum legatur (7), tum inventio argumentorum se-

(1) Dial. partit., passim; Anim. Arist., Præfat. Cf. Schol. dial., l. II, c. 8, 9.
(2) Sch. dial., l. II, cap. 10.
(3) Animadv. Arist., passim; Schol. dial., l. VII, c. 1, 5; l. XII, etc.
(4) Animadv. Arist. et Schol. dial., passim.
(5) Schol. dial., lib. VII, c. 1.
(6) Ibid., c. 3.
(7) Ibid., c. 3.

quatur ea quæ ordine antecedere debuisset (1). Figuras quoque syllogismi simplicis male definitas ac dispositas fuisse contendit (2). Sunt etiam, Ramo auctore, syllogismi qui præscriptis legibus concludi in unaquaque figura non possint; « sunt connexi et disjuncti syllogismi, quibus ipse Aristoteles frequenter utitur, in his figuris nunquam conclusi (3). » De secundo analytico conqueritur, « quod omnino nihil dialecticum in toto isto analytico doceatur (4). » De inductione nihil, nisi obcuritatem quamdam, et *ineptum* inter exemplum et inductionem *discrimen* animadvertit (5). Methodus autem quum ea Ramo vera esse videatur, « quæ generalissimum primo, subalterna medio, specialissima postremo loco disponat, » Aristoteles, vel in Analyticis posterioribus, videtur « neque nominatim, neque de industria sibi proposuisse hanc methodum, atque hanc universam totius artis et disciplinæ seriem, tanquam perpetuam longioris catenæ continuationem, » sed syllogismum unicum in unica quæstione (6). Figurarum etiam mutuam reductionem et analysim minime probat (7). Ineptias, sophismata, confusionem, tenebras, defectus et pueriles nugas ubique, sed præsertim in *Topicis* et *Sophisticis elenchis* reprehendit. Toti denique

(1) Schol. dial., lib. VII, c. 14.

(2) Ibid., c. 3. « Figura definienda erat ex antecessionis et consecutionis, id est dispositionis, differentia et varietate. » — « Tertia figura primo loco debet esse, secunda secundo, prima tertio. » Cf. c. 5, 6, 7.

(3) Ibid., c. 12.

(4) Ibid., l. VIII, c. 1.

(5) Ibid., c. 11, 12.

(6) Ibid., lib. IX, procem.

(7) Ibid., l. IX, ad cap. 11 Analyt. poster.

sophistici syllogismi doctrinæ in vera descriptione artis locum esse negat, « quia nullum de vitiis præceptum est cum virtutis explicatione homogeneum (1). » Dixerat olim Ramus in Animadversionibus Aristotelicis : « Dialecticam ab Aristotele et Aristoteleis non recte institui, cum quod multa dialecticæ artis non necessaria præcepta libris illis conturbentur, tum quod multa necessaria prætermittantur, multo etiam plura redundent. Usum vero dialecticæ artis totum ad scholasticas et sophisticas altercationes esse traductum; adeoque humanitati, cui detracta esset, reddendam eam et restituendam esse (2). » In Scholis autem dialecticis, eadem licet sententia, alia tamen ratione usus, Aristotelis et Aristoteleorum errores, sophismata, contradictiones ex ipsius Aristotelis præceptis ita perstringit, ut Aristotelicum sese pene profiteatur (3) et dicat aliquando : « Logicam logicis Aristotelis principiis conformatam doceamus (4). » Sed hoc magis scholasticos urgere instituit. Leges enim perpaucas in Organo diligenter observatas, ubique Ramus ut veras quidem, non ut Aristoteleas laudibus extollit : « Si nulla, inquit, Aristotelis auctoritas intercederet, essent nihilominus leges eædem probandæ (5). » Quum autem Aristoteles non ubique servet Aristotelis leges (6), hunc ideo Ramus in unaquaque logicæ parte exagitat,

(1) Ibid., l. XIX, c. 1 et alibi.
(2) Animadv. Arist., Præf.
(3) Schol. dial., l. IV, c. 1; l. V, c. 1; l. VI, c. 6; l. VII, c. 1, etc.
(4) Ibid., l. VII, c. 1.
(5) Ibid., l. II, c. 1.
(6) Ibid., l. IX, ad cap. 11 Analyticorum poster.

ejusque auctoritatem impugnat. Imo, ut scholasticos absurditatis convincat, duobus potissimum argumentis innititur : dialecticos primum Organi libros non Aristotelis omnes esse, sed paucissima ejus scripta genuina superesse (1); deinde Aristotelem logicæ minime inventorem fuisse, sed simplicis tantum syllogismi doctrinæ operam dedisse (2) constanter asseverabat. His artibus peripateticorum auctoritatem eo redegit, ut Aristoteles magni quidem adhuc haberetur, neque tamen tanti, ut ejus opiniones, veritate ipsa et rerum natura repugnante, ulterius retinerentur.

Hæc dialecticæ fuit elenctica institutio a Ramo suscepta. Quam autem ipse dialecticam docuerit, considerandum est.

Quum in Aristotelica logica, omnia spinis aspera, captioso genere sermonis obscurata, caput pedibus, et utrisque reliqua membra velut in chao confusa, usum vero præceptorum nullum prorsus videre sibi videretur, neque in certas partes hæc disciplina describeretur, sed tot partes existimarentur, quot de ea libri confici potuissent, nec diceretur quidem tot versuum millibus quid sit dialectica; putavit primum esse quærendum « quæ vis esset ejus disciplinæ, quam ratione et artificio institutam optaret; quæ et quot ejusdem virtutes essent, et ad quam hominum utilitatem comparatæ (3). »

---

(1) Dial. part., præfat., fol. 8 sqq.; Animadv. Aristot., l. I; Schol. dialect., lib. I et l. XX. Cf. Aud. Talæi Prælect. in Porphyrium, 1547, in procem.

(2) Schol. dialect., l. IX, procem. et alibi.

(3) Dialect. partit., in præfat., fol. 15 v., 16 rect.

Dialecticam primum posuit virtutem esse disserendi, ut nomen ipsum indicat. « Διαλέγεσθαι enim est ratione uti, ut Socrates in Alcibiade primo ait : Cicero *disserere* interpretatur (1). » Illa autem virtus, quæ « postea *logica*, eadem tamen significatione, dicta est (2), » duplici munere fungitur, ideoque duas esse dialecticæ partes Ramus asserit, *inventionem* et *judicium* : quorum hæc est natura et labor, ut inventionis sit quidquid ad invenienda argumenta pertineat, judicium autem in æstimandis et collocandis argumentis versetur (3). Duplicem hanc disserendi virtutem, sicut artium omnium facultatem, natura, doctrina, exercitatio propriam homini faciunt. Quum enim ratio hominis peculiare bonum sit, cum eaque nascatur, et ad rationis usum proprio quodam naturæ motu rapiatur (4), hæc est disserendi origo, hæc naturæ est institutio : quam optimam ducem quisquis eliget, artem et doctrinam pulcherrimam efficiet. « Ars igitur naturam sibi propositam semper habeat, exercitatio artem (5). » Qua autem ratione naturæ cursum perspicere atque intueri quisque debeat, ipse in Dialecticis partitionibus præclare docet his verbis :

« In hoc uno, inquit, elaborandum et omni cogitatione mentis incumbendum est, ut videamus quid natura per se præstet et exhibeat in disputando. Quam-

(1) Dial. part., f. 1 rect. ; Sch. dialect., l. I, II ; Dialectique, l. I, init.
(2) Ibid., f. 1 v., etc.
(3) Ibid., f. 5 v., et in ceteris Rami libris, pass.
(4) Ibid., fol. 1, 2 ; Animadv. Aristot., l. I : « Omnium artium veritas et usus prius exstitit, quam ulla præcepta cogitarentur. »
(5) Dial. partit., f. 1 v.

obrem ut naturæ virtus facilius appareat, selige de tot viventibus hominum millibus, qui naturæ solertia judicioque præstent,.... eosque in consilium magnæ deliberationis alicujus advocatos jube sententiam dicere : tum ex eorum ingeniis veluti speculis imago naturæ resultabit. Attende igitur quid tales naturæ consiliarii facient. Primum (ut opinor) apud se taciti rationem aliquam excogitabunt, et argumentum invenient, quo rem deliberationi propositam suscipiendam adhortentur, vel ab ea deterreant; deinde ubi satis commode cogitaverint, cogitationem non temere, sed via ac ratione certa digestam partitamque exprimient : singula subtiliter ac rotunde concludent : genera a capite membratim distributa persequentur : et quod in una aliqua disceptatione præstarent, idem longe excellentius in universa rerum omnium cogitatione (ut veteres illi sine arte ulla philosophi) præstabunt. Excitat igitur in animis nostris natura (cum disceptationis occasio oblata est) geminos quosdam motus, tum ad inveniendam rei dubiæ fidem subtiles et acutos, tum ad exprimendam et pro modo numeroque rerum collocandam atque æstimandam prudentes et moderatos. Hæc certa naturæ observatio est : a qua nunquam discedere doctrina, sed tanquam Deum sequi debet. Egregie enim munere suo perfuncta videbitur, si naturæ prudentiam poterit imitari. Quamobrem summa diligentia monitiones illas naturæ præstantibus ingeniis insitas et ingenitas observabit : easque animadversas et notatas in naturæ simillimam viam rationemque concludet, descriptasque disserentibus ad imitandum proponet : atque ita quæ discipula naturæ prius fuerat,

ejus magistra quodammodo fiet. *Nulla enim natura tam firma constansque est, quin cognitione sui et virium suarum descriptione firmior et constantior;* nulla tam languida et abjecta, quin adjumento artis acrior et alacrior effici possit (1). »

Hac mente Ramus naturæ monitiones, quantum in poetis, oratoribus, philosophis, mathematicis observare potuit, in præcepta contulit, artemque dialecticam in duas partes distribuit, inventionem et judicium (2), scilicet argumenti tum inveniendi, tum collocandi doctrinam. Quid porro sit in Rami Dialectica *argumentum* considerandum prius est, quam de utraque illa parte loqui aggrediamur. Non enim argumentum, sicut Aristoteles et plerique logici, medium syllogismi terminum esse definit, sed omnino quidquid ad *arguendum* adhiberi potest : argumentum igitur accipit pro quovis enuntiationis quæstionisve termino. Quum enim quæstionis propositæ partes sint antecedens et consequens, seu minus majusque extremum, argumentum aut simplex aut conjunctum esse contendit : quorum « illud ex alterutra parte quæstionis, hoc ex tota quæstione promitur (3). » Quæ cum sit argumentorum definitio, dicendum est qua ratione fiat inventio, quam priorem dialecticæ partem esse affirmat.

Ea nimirum fit per *locos* (4), quorum ut diversa genera percipiantur, ipsa argumentorum genera et

---

(1) Dialet. partit., f. 3, 4.

(2) *Judicium* enim maluit dicere quam *dispositionem*, Ciceronis imitatione, ut observat Gassendus, De logicæ orig. et variet., c. 9.

(3) Dial. part., f. 6 rect. Cf. Gassend., ibid.

(4) Schol. dial., passim.

differentiæ intelligantur necesse est (1). Argumentum artificiale aut inartificiale esse statuit Ramus, quorum illud quidem per se, hoc autem non sua natura, sed assumpta alicujus artificialis vi arguit. Inartificiale idem est ac testimonium, quod aut humanum aut divinum est. Artificiale est primum, seu quod est suæ originis, aut ortum a primo, seu derivatum : hujus autem Ramus species facit conjugata, notationem, distributionem ex causis atque effectis, subjectisque et adjunctis. Artificiale primum dividit in simplex et comparatum, quod scilicet comparatur cum alio : quod quidem fit sivé per quantitatem, quo modo sunt paria aut imparia, hoc est majora vel minora, sive per qualitatem, quo modo sunt similia atquè dissimilia. Ipsum simplex facit aut consentaneum, quatenus consentit cum re, aut dissentaneum, quatenus dissentit. Dissentaneum autem partitur in diversa et opposita, hæc in disparata et contraria, contrariaque in relata, adversa, privantia, contradicentia. Tum resumendo consentaneum, hoc si absolute arguit, causam (quæ est una e quatuor Aristotelicis) aut effectum, si vero quodam modo, subjectum aut adjunctum esse profitetur.

Qua quidem argumentorum serie constituta, locos argumentorum ita indicat, ut eorum quæ prima simpliciter et absolute vel quodam modo cum re consentiunt, loci causa et effectum, subjectumque et adjunctum habeantur ; eorum vero quæ dissentiunt diversa,

---

(1) De hac argumentorum divisione vid. Dial. part., fol. 5 sqq. ; Institut. dial., l. 1; Dialect., l. I; Schol. dial., pass. Cf. Gassend., ibid., et Brucker., l. c., cap. 1, § 5.

disparata, relata, adversa, privantia, contradicentia. Comparatorum argumentorum loci paria, majus et minus, similiaque et dissimilia. Reliquum vero artificiale suos quoque locos habet conjugata, notationem (seu nominis interpretationem), distributionem ex causis et effectis, subjectisque et adjunctis, atque definitionem. Inartificialia denique argumenta a testimonio divino humanoque pendent, cujus species Ramus pro suo more, variis exemplis perspicue docet (1).

Judicium sequitur, quod quidem quum a Ramo maxime celebratum fuerit, *secunda pars Rami* per jocum vocabatur. Tres judicii gradus diligenter distinxit Ramus : axioma, syllogismum, ac methodum. « Axioma (sive enuntiatio), inquit, est dispositio argumenti cum argumento, qua esse aliquid aut non esse judicatur (2). » Ex hac definitione axioma idem apud Ramum esse videtur, quod apud stoicos, id est propositio : quod ipsa axiomatum divisione confirmatur. Est enim axioma affirmatum aut negatum; utrumque autem verum aut falsum esse potest. Verum igitur postquam in contingens et necessarium divisit, ad hoc tres illas requirit ex Aristotele (3) conditiones, quibus apud ipsum nihil est notum magis, ut axioma nempe sit, primo κατὰ

(1) Institut. dial., lib. I; Dialect., lib. I. — « Tota igitur inventio decem locis concluditur et declaratur : causis, factis, subj., adj., dissentaneis, comparatis, nominibus, distribut., definit, testimoniis. » Schol. rhet., l. III, col. 210 (ed. 1578). Cf. Arist. animadv., l. I.

(2) Dial. part., fol. 6 v.; Dialectique, l. II; Dial. (1556), p. 147; Schol. dial., pass.; Schol. rhet., l. XI init.; l. XV, col. 285 (ed. 1578).

(3) Analyt. post., lib. I, c. 33, et alibi.

παντός *de omni*, secundo καθ' αὑτό *per se* sive homogeneum, tertio καθόλου πρῶτον, *universaliter primum*, hoc est, ita ut antecedens et consequens affirmari de se reciproce possint. Quarum legum primam veritatis, secundam justitiæ, tertiam sapientiæ appellat (1). Deinde, quia axioma simplex aut compositum est, agit prius de simplici, quod aut generale est, aut speciale, idque vel particulare vel proprium facit; posterius autem de composito, eoque vel copulato, vel connexo, quod aut congregativum sit aut disgregativum, et tunc vel discretum, vel disjunctum (2).

Cum aliud axioma ex alio deducitur, fit syllogismus aut methodus, quos eodem nomine complexus dianoeam appellavit. « Syllogismus, inquit, est dispositio, qua quæstio cum argumento disposita, necessario concluditur (3). » In quo duas partes distinguit, antecedens, quod propositione et assumptione constat, et consequens, quod ipsa est conclusio. Est vero ut axioma, ita syllogismus aut simplex aut compositus : itemque simplex vel generalis, vel specialis, vel proprius est. Præterea contractus aut explicatus esse potest. Explicati autem tres figuras seu species aliis nominibus et locis atque Aristoteles describit : primam, quando medius terminus, tam in propositione quam in assumptione antecedit (4); secundam,

(1) Dialect., lib. II, perorat. primi judic.; Schol. metaph., in præf., p. 1; Præf. Scholar. phys., init.

(2) Dialect., l. II, p. 148 sqq. (edit. ann. 1556).

(3) Dialect., l. II, p. 180.

(4) Hæc est tertia apud Aristotelem figura, in qua medius terminus pro subjecto bis in præmissis sumitur.

quando bis sequitur sive attribuitur (1) ; tertiam, quando medius terminus in propositione antecedit, et in assumptione affirmatum sequitur (2). In unaquaque figura modos generales duos, speciales duos, proprios etiam duos distinguit. Sunt igitur, si Ramo creditur, duodeviginti simplicis syllogismi modi, quorum novem affirmant, novem contra negant. Compositum vero syllogismum minime omittit; quem in connexum et disjunctum dividit, duosque hujus, quatuor illius modos eleganter descriptos exemplis, ut reliquas dialecticæ partes, illustrat.

Methodum, sive ratiociniorum consecutionem, *doctrinæ* aut *prudentiæ* esse affirmat, atque ita definit : « Dianoeam variorum axiomatum homogeneorum pro naturæ suæ claritate propositorum, unde omnium inter se convenientia judicatur, memoriaque comprehenditur (3). » Ita autem methodum institui jubet, ut universalius primum, deinde minus universale tractetur, adeo ut gradatim a maxime generalibus, per subalterna, ad maxime specialia perveniatur (4). Sic enim a facili ad difficile, a perspicuo ad obscurius mentem sensim deduci contendit (5). Hunc

---

(1) Hæc est secunda apud Aristotelem figura, in qua cum medius terminus bis pro attributo sumatur, alterutra præmissarum negativa fiat necesse est.

(2) Hæc erat prima apud Arist. figura. Gassendo auctore, « duas tantum figuras pro tribus Aristotelicis facit (Ramus). » De log. orig. et var. c. 9. In postrema enim Dialecticæ edit. Ramus tertiam syllog. figuram, nulla explicatione adhibita, tollit.

(3) Dialect. (edit. 1556), lib. II, p. 211 sqq.

(4) Schol. dial., l IX, pass.; Schol. rhet., l. XV, col. 286 (ed. 1578); Schol. phys., l. III, col. 829; Dialect., ibid., p. 248. Cf. Gassend., l. c.

(5) Dialect., lib. II, p. 248, 249.

autem ipse rerum ordinem paucis indicat : « Definitio, inquit, generalissima prima erit : distributio sequetur; quæ si multiplex fuerit, præcedet in partes integras partitio; sequetur divisio in species; partesque ipsæ et species eodem ordine sunt rursus tractandæ ac definiendæ, quo distributæ fuerint. » Subjicit exempla varia a Virgilio, Ovidio, Cicerone deprompta. Cum autem non tam de re perspicue docenda, quam de auditore delectando commovendoque interdum agitur, tunc homogeneum aliquid rejici, heterogeneum assumi, ordinemque inverti posse declarat, idque usu venire præsertim poetis, ut Homero qui

Non gemino bellum Trojanum orditur ab ovo (1).

Hæc est artis dialecticæ summa : quam quidem secundum naturæ monitiones descriptam exercitatio assidua in majus provehet. Multa Ramus de exercitatione disserit, in qua quantum insit ad bene disserendum momenti vix dici posse arbitratur : quæ cum languentes et sopitos artis sensus excitare soleat, summa igitur ac prope sola disserendi virtus in ea posita est (2). Exercitatio autem interpretatione, scriptione, dictione continetur. Interpretationem nempe vocat poetarum, oratorum, philosophorum, omniumque artium et excellentium scriptorum lectionem, et ad instituta dialecticæ artis explicationem; eamque

---

(1) Dial., edit. 1576, cap. 20, p. 168. Cf. Gassend., l. c. Nimirum hæc est methodus quam *prudentiæ* vocat Ramus, de qua ita disserit in Dialect. (1556), l. II, p. 265 sqq., ut « methodus artificiosa ad scientiam, methodus prudentiæ ad opinionem referenda sit. » Vid. ad hunc locum Aud. Talæi interpretat. (ibid., p. 272).

(2) Dialect. part., fol. 59, 60. Cf. Schol. dial., l. XX sub fin.

tamen haud adeo severam : quanquam enim in poetis et oratoribus sæpe reperiet inflexum ordinem illum logicæ legitimum, non tamen eos damnabit, quoniam illis voluptatis aut utilitatis certæ studium, non veritatis explicandæ propositum erat; verumtamen quo plenius rem ipsam intueatur, ad artis præcepta logicus revocabit (1). Scribendi porro dicendique exercitatio una et eadem monitione comprehenditur, quanquam scriptio natura et tempore prior est : « Accurate enim dicendi caput quamplurimum scribere (2). » Scribendi vero dicendique prima facillimaque via est imitatio, « quæ prudenter quos imitari velit seligat (3). » Hic rursus eloquentiæ philosophiæque studia conjungenda esse docet. « Quamvis enim, inquit, dialecticæ ratio, rhetoricæ oratio propria sit, tamen ut cordis et linguæ officia fidelissima societate natura conjunxit, sic rhetoricæ et dialecticæ munera copulare usus et exercitatio debebit. Sic artes istas conjunctas exercuit Plato, nec minus diserte dicit quam subtiliter et acute disserit, easque sic exercendas esse docuit (4). Ideoque ejus auditor Aristoteles, non ad miserum et bonis ingeniorum studiis perniciosum morem de solis præceptis tenuiter et aride balbutiendi garriendique, sed ad copiam rhetorum in utramque partem de omnibus rebus disserendi, ut ornatius et uberius dici posset, et seipsum et discipulos suos exercuit (5). »

---

(1) Dialect. partit., fol. 68 rect.

(2) Ibid., fol. 71, 72. Cicer., De orat., I, 33. Cf. Brut., c. 14.

(3) Ibid., fol. 72. Cf. Cicer., Rhet. ad Her., I, 2; De orat., II, 22; Quintil., Instit. orat., lib. X, c. 1, 2, pass.

(4) In Phædro præsertim.

(5) Dial. part., f. 74, 76. Hæc de præceptis (fol. 78) addit : « Quamob-

Ceterum non cum rhetorica tantum dialecticæ usus copulari debet, quum dialectica dux nobis adhibenda sit, quæ a sensibus mentem, et a consuetudine cogitationem revocet, veritatemque suo lumine in singulis artibus, quinetiam in seipsa primum demonstret. Hunc logicæ usum quam maximis semper laudibus celebravit :

« Si quid, ait, in constituenda grammatica, rhetorica, logica etiam ipsa, si quid adversus grammaticorum, rhetorum, logicorum opiniones acutius vidimus, logicæ lumen fuit. Si quid interpretandis bonorum auctorum consiliis variæque prudentiæ laudibus explicandis juventuti profuimus, logicæ lumen fuit. Si quam apud vos vestrique generis animos liberali ingenuaque conditione præditos ingenii famam consecuti sumus, logici luminis gratia et commendatione consecuti sumus. Rhetorica ornamenta semper illa quidem sum admiratus : at logicam et in providendo solertiam et in judicando constantiam incredibili amore vel ardore potius amplexatus sum. Quid multa? Si charissimis discipulis disciplina meo judicio nobilissima et liberalissima a musis ipsis, artium de quibus loquimur præsidibus, optanda proponeretur, logicam medius fidius optarem (1). »

Quum igitur, logica duce, artes singulas perlustraverimus, tum scientiarum humanarum cognationem virtutemque perspiciamus jubet philosophus noster, ut laboris humani fructus possit æstimari et optimus

---

rem ut verum solidumque fructum præstantissimæ virtutis capiamus, artis præcepta breviter cognoscantur : de his raro ac tantisper dum doctrinæ ad institutionum suarum leges quadrare videatur, disputetur. »

(1) Orat. de sua prof.

rerum omnium parens atque auctor agnosci (1). « Artes enim ac doctrinæ omnes quid, nisi immensam rerum varietatem (quæ ab optimo maximoque Deo incredibili sapientia conditæ sunt et effectæ), intuendo et admirando persequuntur? Omnis igitur labor, industria, contentio, dignitas, honor literarum doctrinarumque omnium ad summæ illius bonitatis et æternæ potentiæ majestatem laude, justitia, pietate complectendam adhortatur (2). »

Hæc est P. Rami dialectica, cujus genuinos fontes, e variis ipsius testimoniis, indicare haud admodum difficile erit. Scilicet permulta primum e logicis Aristotelis libris transsumpta, si verborum novitatem tollas, servavit, cum in reliqua logica, tum in ea præcipue logicæ parte quæ de judicio dianoetico seu de syllogismo disserit. Id autem, ut recte Bruckerus observat (3), ipse Ramus ultro fatetur, « Aristoteli et Aristoteleis non laudem debitam se detrahere velle, sed si qua ab eis dialecticæ propria veraque præcepta tradita fuerint, libenter approbare (4). » In modo tamen methodoque docendi, in definitionibus et divisionibus, et circa quarumdam rerum nomina ab Aristotele, auctoribus plerumque Platone et Cicerone, recessit : quod nos perspicue, ut supra vidimus, docet in epilogo libri quarti Scholarum dialecticarum (5). Deinde Rodolphi Agricolæ (6) et Joannis

(1) Dial. partit., fol. 40 v.
(2) Ibid, fol. 41 v.
(3) Hist. crit. phil., per. III, part. II, lib. II, c. 1, § 6.
(4) Animadv. Aristotel., in præfat. (edit. 1548).
(5) Vid. supra, p. 10, 11.
(6) Rod. Agricola, Frisius, Heidelbergensis professor, natus fuerat

Sturmii (1) vestigia premens, ut ipse testatur, inventionis ac judicii præcepta omnia ad usum in philosophis, oratoribus, poetis, in quotidiana denique vita ostendendum, pertinere voluit. Præterea si Galeni lectionem fortuitam (2), et nonnulla rerum logicarum nomina e stoicorum officina deprompta addideris, omnia jam dialecticæ Rameæ habebis, ut opinor, initia. Non enim facile intelligo quis ceterorum logicorum imitationi locus supersit, in constituenda Rami dialectica. Sunt tamen qui hunc furti ac plagii insimulent, eo nempe nomine, quod invectivas atque reprehensiones Aristotelis non suomet ingenio debuerit, sed Laurentio Vallæ et Ludovico Vivi subripuerit (3).

---

ann. 1442, mort. ann. 1485. De quo Ramus, cum in multis scriptorum locis, tum in præfat. Scholar. in lib. artes, ita memorat : « Rod. Agricola, primus omnium post beata Græciæ Italiæque tempora, eximium illum logicæ facultatis usum revocavit, ut juventus a poetis et oratoribus disceret non solum pure loqui et ornate dicere, sed de propositis rebus acute prudenterque cogitare. Hos dialecticos tam insignes, tamque amabiles fructus Joannes Sturmius, ex Agricolæ schola, Lutetiam Parisiorum primus attulit, Academiamque Academiarum principem incredibili tam insperatæ utilitatis desiderio inflammavit; tum igitur tanto doctore logicam istam ubertatem primum degustavi, didicique longe alio fine consilioque juventuti proponendam esse quam Eubulidea illa contentionis rabies persuasisset : nempe ut tenera ætas fieret exemplo et imitatione summorum logicorum, ingenio promptior ad providendum quidlibet cogitandumque, judicioque maturior ad decernendum ac judicandum. » Idem Rod. Agricola inventionem et judicium duas summas logicæ partes statuerat : quod libri ejus De inventione abunde testantur. Vid. Th. Zuinger., Th. vitæ hum., vol. IV, l. IV, p. 1176, col. b.

(1) J. Sturmius, Sleidæ nat. ann. 1507, cum Lutetiam venisset, ibi privato nomine sed cum maximo auditorum concursu professus erat, ab anno 1529 ad annum usque 1538, donec Argentinensis gymnasii rector nominatus fuisset.

(2) Schol. dial., in epilogo libri IV.

(3) Rapin, Réfl. sur la philos., § XXV init. « Il ne copia Laurent Valla et Louis Vivès, deux grands critiques des siècles précédents, que pour s'ériger en novateur. » Id., Réfl. sur la log, § VII fin. : « Ramus ne réussit

Fatendum quidem est nonnulla apud horum utrumque reperiri quæ in Rami quoque doctrina occurrant, eorumque libros a Ramo legi potuisse; non ideo tamen ista plagii culpa in eo notanda erat, cum hæc omnia aut in aliis logicis occurrerent, aut perparva omnino essent, et minora certe quam quæ ad auctorum gloriam attinerent. Sed communem cum utroque ardorem illum habuit in expellenda scholasticorum barbarie. Scilicet Laurentius Valla, conscriptis tribus *Dialecticarum disputationum* libris, postquam de scholasticorum nugamentis et inani arrogantia conquestus esset : « At, inquit, quod longe indignissimum est, cum captiones, cavillationes, calumnias video, quas et exercent et docent, non possum eis non succensere, quasi piraticam, non navalem rem, sive, ut mollius loquar, palæstræ, pro militiæ, disciplinam tradentibus (1). » Ludovicus autem Vives in libro *De causis corruptarum artium*, de Aristoteleorum dialectica loquens : « Dialectica, inquit, multum contraxit squaloris et sordium, quam conveniebat esse longe purissimam, nempe aditum atque instrumentum aliorum studiorum....... In scholasticos recentes, tanquam in navis sentinam, omnia hujus artis vitia confluxerunt..... Tam mira monstra quæstionum sæpe subnascuntur in scholasticis, ut mirere eos non interdum in somnis teneri... Ænigmata hæc non ex ingenio eruditione multa exercitato et subacto, sed ex ignorantia meliorum sunt

---

pas mieux dans le dessein qu'il forma de détruire le crédit d'Aristote, sur les mémoires de Valla et de Vivès. » Cf. Keckermann., Præcogn. log., tract. II, c. 4.

(1) Dialect. disput., ap. Bruck., l. c.

nata, tanquam herbæ inutiles in solo inculto (1). » Quum igitur Valla et Vives in scholasticos inquisiverint, hæc vera fuit Rami cum utroque cognatio. Hisce enim (vel inscius) ducibus, acerrimum illud cum Aristotelica factione certamen inivit. At, « unus Ramus, inquit Bruckerus, quod tam multi mussitarunt, aperte eloqui, et quod alii in votis tantum habuerunt, in rem perducere novamque dialecticam introducere ausus est (2). »

His orta initiis Rami dialectica, fautores plurimos, ut magna quæque doctrina solet, sibi conciliavit : inde frequens illa *Ramistarum* sive *Rameorum* secta (3), cui se fortiter permulti quoque adversarii opposuerunt : de quibus aliquid dicendum nobis est; sed de Ramistis primum.

Ramistarum familia a Prællea primum schola originem duxit : « E qua innumerabiles viros eruditissimos et utriusque linguæ peritissimos exiisse » testatur Nancelius, « ita ut per annos complures nullus esset politioris literaturæ studiosus, nullus bonarum artium peritus, nullus bene et methodice institutus, nullus græce et latine gnaviter serioque edoctus, qui ex Rami officina non prodierit, theologus, medicus, jurisconsultus, præses, consiliarius, patronus.... Possem (inquit) proferre plurimos : sed vereor ne recensendo fiam prolixior, quia forum totum Parisiense talibus viris clarissimis refertum, omnes Academiæ

(1) De causis corrupt. art., ap. Bruck.

(2) Hist. crit. philos., period. III, part. II, lib. II, c. 1, § 2.

(3) « Se donnant ceux qui estudient en dialectique le nom et titre de *Ramistes*. » Steph. Pasquier, l. c., l. IX, c. 18. Cf. Gassend., De log. orig. et variet., c. 9; Port-Royal, Art de penser, præf. prior.

iisdem personant, omnes urbes gallicæ abundant, omnes ceteræ nationes Rami et Ramisticæ doctrinæ factæ sunt participes (1). » Scilicet Ramismus (quo nomine illa disciplina appellari solebat) in omnibus fere Europæ regionibus, sed præsertim apud Gallos, Anglos, Scotos, Belgas, Batavos, Danos, Germanos, Helvetiosque viguit, donec in ejus locum amplior Cartesii doctrina successerit. Sed varia vel apud illas gentes fortuna Ramus usus est. Ramea enim dialectica, dum in Gallia publice oppressa, a privatis tantum traderetur, in Britannia Germaniaque inter protestantes publice lecta fuit magnoque cum applausu excepta, ut e sequentibus manifestum erit.

Ut vero a Gallis incipiamus, ii primum nobis occurrunt, quos in Vita Rami pluries nominavimus : Audomarus Talæus et Bartholomæus Alexander, laboris socii, quos Ramus ut fratres coluit ; tum Nicolaus Charton medicus (2), Joannes Pœna (3), Arnaldus cardinalis Ossatus (4), Scævola Sammar-

(1) Nancel., l. c., p. 19.

(2) De quo supra, p. 80, not. (2). Cf Du Boulay, t. VI, in Catal. oct. sec.

(3) De quo supra, p. 56, p. 70, not. (5). Vid. Nancel., p. 26-27. Cf. De Thou, l. XXI, ad ann. 1558.

(4) Nat. ann. 1536, mort ann. 1604. Vid. Amelot de la Houssaye, Vie du cardinal d'Ossat : « En 1564, il fit paraître une petite dissertation intitulée : Expositio Arnaldi Ossati in disputationem Jac. Carpentarii de methodo, qui est une défense de la dialectique de P. de la Ramée contre J. Charpentier, doct. en médecine. Ce petit ouvrage critique lui fit d'autant plus d'honneur qu'il en fit beaucoup à la Ramée, qui avait été son maître en philosophie au collége de Presles..... Charpentier répondit à d'Ossat, mais ce fut par injures..... il le traite de magistellus trium literarum, ou, selon notre mot vulgaire, de *sot en trois lettres* » Cf. Rami Act. math. sec., et Jac. Carpent., Ad Exposit. disput. de methodo contra Thessalum Ossatum respons., Paris., 1564, in-4°.

thanus (1), Nicolaus Nancelius (2), Ant. Foquelinus (3) Rami doctrinam secuti sunt, eique fuerunt valde amici Quintinus Heduus doctor canonista, Joannes Magnienus mathematicus, Simo Petreius, Jac. Hollerius et Rassii, medici (4); inter jurisconsultos Ant. Loysellus et Car. Bergeronius, executores testamenti Rami (5), Amarito, atque in primis Stephanus Pasquier (6); inter theologos D. Furnerius et Joannes Sabellus (7); aliique sane permulti (8). Reges etiam Ramus sibi doctrinæque suæ conciliaverat, Henricum II, Carolum IX, reginamque matrem Catharinam Medicæam (9), ut e supra dictis satis compertum habemus. Rami autem methodum dialecticam, si non in theologia, at certe in humanis literis artibusque maxime foverunt Carolus Lotharingus cardinalis, vetus Rami condiscipulus, Joannes

(1) Nat. eodem anno quo Arn. Ossatus, mort. ann. 1623. Vid. G. M. de Rochemaillet, Vie de Scévole de Sainte-Marthe, Paris, 1629, in-4°.

(2) Quem toties testem in Rami vita adhibuimus: natus in agro Noviodunensi; unus e duodecim *bursariis* coll. Prællei; « cum bonas literas partim apud Parisios in frequentissima Rami schola, partim Duaci constitutis a Philippo II rege stipendiis docuisset, medicinæ studio totum se dedit. » Scæv. Sammarth., Elog., l. V: Nic. Nancelius. — « Me *parvum Ramum* futurum Ramus ipse jocando dictitabat. » Nanc., p. 57.

(3) Vid. Nancel., p. 52, 65. Foquelinus Veromanduus, Ramo annos novem integros operam dedit, deinde Cujacio.

(4) Nancel., p. 65. Joannes Magnienus mathematicas artes in regia cathedra professus est, ann. 1555-1557.

(5) Id., ibid. Ant. Loisel, celeberrimus j. c., nat. ann. 1536, Rami fuerat alumnus in Prællea schola; mort. ann. 1617. Vid infra Testam. Rami.

(6) Id., ibid. Vid. Lettres d'Est. Pasquier, l. III, ep 4, etc. Pasquier natus erat ann. 1529.

(7) Nanc., ibid.; vid. A. Talæi Prælect. in Porph., Sabello dicatas.

(8) Brierus, Martinus, Poetevinus, Gualterus, etc.; Nancel., ibid.

(9) « Les lettres doivent une perpétuelle mémoire à cette reine qui leur causa un grand advancement. » Louys Jacob, Traité des plus belles bibl., p. 458. Hanc elegantibus versiculis laudavit P. Ronsart.

Monlucius Valentinorum episcopus, Michaël Hospitalius (1), et cardinalis Castellonius, qui protestantium partes amplexus fuerat (2).

His discipulis, amicis, patronis, Ramus in Gallia usus est. Apud Helvetios autem ejusdem doctrina dialectica ita invaluit, ut Turici, Bernæ et Lausannæ unice retineretur, auctore in primis Henrico Bullingero. Inter Lausannenses professores, Nunius præcipue (3) Rameam logicam amanter exceperat. Genevæ dum immoraretur Ramus, sectatores multos nactus fuerat, in eisque Jacobum Arminium, unde felici inter Arminianos fortuna Ramismus usus est (4). Viguit eadem illa doctrina inter Helvetios usque ad XVIII seculi initia, teste Baylio (5).

Germani ante omnes Rameam doctrinam maximo cum favore complexi sunt : cujus prima occasio fuit, quod juvenes multi ab ipso tum dicendi tum ratiocinandi principia didicerint : quippe qui e longinquis regionibus Lutetiam audiendi Rami causa venissent (6). Duo vero ex tam multis in Ramistica secta præter Theophilum Banosium (7) et Fridericum

(1) Vid. supra, p. 80, not. (2). Cf. Prooem. mathemat., l. II.

(2) Brant., Homm. ill., disc. 48.

(3) Freig., in Rami vita, p. 40.

(4) « Arminio, studiorum causa Genevæ hærenti, et philosophiam secundum Ramum tradenti, facultas legendi ex instigatione cujusdam peripatetici adempta est. » Brucker., per III, part. I, l. II, c. 3, § 33 et § 42. Vid. Histor. vitæ Arminii, a Casparo Brandt, 1724, in-8°.

(5) Dict. hist. et crit., l. c., not. O.

(6) Nancel., p. 63 : « Scio enim vidisse me Germanos, qui mihi jurarint, unius Rami videndi et alloquendi causa in Galliam venisse, et deinde Turnebi. » Cf. Steph. Pasquier, Rech. de la France, lib. IX, c. 18.

(7) Audit. Rami, ejusque vitæ scriptor. Quem Voltaire Freigio facete opponit : « Freigius, auteur qui peut être utile aux curieux, quoi qu'en dise Banosius. » Dict. phil., Du quisq. de Ramus.

Reisnerum (1) eminuerunt : Franciscus Fabricius ac Theodorus Zuingerus, quorum unus diligentia in Ciceronis vita describenda (2), alter operoso illo Theatro humanæ vitæ (3) celeberrimus fuit. Hic autem, quanquam Aristoteli maxime favebat, usum tamen logicæ ex Rami sententia expetebat, ut testantur quæcumque passim de logicæ historia scripsit (4). Sinceriorem sese Ramistam præstitit F. Fabricius, qui quum Dusseldorpiensis Academiæ rector factus fuisset, Rami dialecticam propagandam curavit (5). Quumque haud pauci ex hujus disciplina viri docti prodirent, qui postea publicis professionibus passim per Germaniam præfecti sunt, facile inde est colligere cur Ramismus, vel adhuc vivente Ramo, tanta inter Germanos incrementa ceperit. Ut vero ipsa Rami scripta prætermittam, quæ in Germaniam effluxerant, peregrinatio illa per totum biennium 1568-1570 nobis in memoriam veniat, quæ illi tam multos admiratores conciliavit, tum ob novitatem doctrinæ, tum ob insignem viri eloquentiam, sed in primis ob humaniorem illam literarum cognitionem, quam Ramea disciplina tantopere commendabat et adju-

(1) Qui Ramo studii mathematici adjutor fuit, et Germanicæ peregrinationis comes. Vid. infra Rami testamentum.

(2) Ciceronis historia per consules descripta et in annos 64 distincta, Colon., 1564, in-12; 1570, in-12; 1727, in-12, ed. Gronovio. In hujus operis præfatione, Fabricius se discipulum Rami profitetur, eique operam dedisse Lutetiæ se non pœnitere scribit.

(3) Theatrum humanæ vitæ Theod. Zuingeri, etc. Basil., 1604, in-fol.

(4) Th. hum. vit., vol. IV, l. IV, p. 1176, col. b. « Petrum vero Ramum Veromanduum cur non jure merito his aggregem? Non quia præceptor olim noster, sed quia logicæ finem in usu, non in sophistica theoria consistere arbitratur. »

(5) Brucker., ibid., c. 1, § 10.

vabat. Hanc nempe viri docti et in veterum scriptorum lectione versati, ad eorum interpretationem et imitationem plurimum facere intellexerunt. Sed ante omnes Joannes Sturmius (1) et David Chytræus auctores fuerunt ut Ramea dialectica invalesceret. Uterque enim, bonarum artium causa, plurimum Ramo favit, licet Aristotelem non improbarent (2). Quum autem hi duumviri in constituendis per Germaniam scholis eligendisque professoribus in consilium adhiberentur, hac via Rami dialectica latissime pervagata est. « Vix, inquit Bruckerus, schola aliqua publica paulo celebrior nominari potest, in qua non Ramistæ docuerint. » Unus autem omnium maxime nostri philosophi partes amplexus est, Joannes Thomas Freigius, qui Basileæ Rami auditor et discipulus fuit, ejusque libros complures typis iterum excudendos post annum 1572 diligenter curavit. Præterea dialecticam novam Basileæ primum, deinde Altdorfii publice professus est (3). Quanta autem Ramum prosequeretur admiratione, vel ex hoc uno carmine intelligitur:

Invictus, Rame, es : nam bis duo pectora gestas,
Socratis, Euclidis, Tullii, Aristotelis.
Arte es Aristoteles, methodo Plato, Tullius ore,
Ingenio Euclides, Rame : quid ulterius? (4)

Ceteros in Germania Ramistas enumerare longum

(1) Argentinensis Academiæ rector auctorque, mort. ann. 1589.
(2) Brucker., l. c.
(3) Id., ibid. Cf. supra, p 82, 83. Errasse mihi videtur Bruckerus, quum dixerit : « Freigium, fama doctrinæ Rami excitatum, Parisiensem scholam adiisse (l. c.). » Ipsi enim Freigio Ramus scriptis tantum notus erat ante Basiliensem commorationem. Rami vita, per J. Th. Freig., p. 5.
(4) Rami vita, per J. Th. Freig., p. 42.

sane opus foret; sunt tamen quorum nomina omisisse summæ injuriæ esset (1). Inter quos doctissimi viri inclaruerunt : in gymnasio Tremoniano Fridericus Beurhusius ; in Corbacensi schola Adamus Scribonius, auctor *Triumphi logicæ Rameæ;* inter Hanoveranos, Heizo Buscherus; inter Gœttingenses Conradus Hoddæus. In Julia Helmstadii Academia, ubi peripatetica doctrina præcipue vigebat, pro Ramo acerrime decertavit Caspar Pfaffradius, qui cum Henningo Rennemanno, Erfordiensi professore, consulendus est de controversiis Rameis in Germania agitatis. Marpurgi Hieronymus Treutlerus, Hamburgi Jacobus Reneccius et post eum Severinus Sluterus, Lubecæ Joachimus Hansius pro Ramo steterunt. In Academia autem Lipsiensi motus haud leves concitavit Ramea dialectica. Quum enim calvinismi semina in ea latere elector Saxoniæ a peripateticis accepisset, Joannes autem Cramerus, Aristotelici organi publicus doctor, Rameam doctrinam abnuere recusaret, is munere suo anno MDXCI exutus est, et « quicumque in ea Academia professionibus publicis frui cupiebant, singulari syngrapha promittere jussi sunt, se nolle quicquam tradere, quod a philosophia Aristotelis sit alienum (2). » Sed in aliis protestantium Academiis Ramea disciplina, licet varias fortunæ vices experta, emersit tamen, ut ex indubitatis testimoniis constat. Sic in Leucorea Academia, in Altdorfina schola invaluere partes Rami, itemque in Julia Helmstadii Academia, adjuvantibus post Frei-

(1) De quibus vid. Brucker., ibid.
(2) Brucker., l. c.

gium ac Pfaffradium, Antonio Notholdo atque Hermanno Nicephoro. Quin per edicta tantum electorum Saxoniæ, anno MDCIII confirmata, Vitebergenses prohiberi potuerunt, ne Rameæ se darent philosophiæ (1).

Ceterum id notandum esse mihi videtur, quod Ramei plerique præter Rami dialectica præcepta, Aristotelicam quoque logicam discendam juvenibus libenter proponerent, eadem nempe imbuti sententia, qua Ramus ipse fuerat : quippe qui Aristotelem emendare, non prorsus abjicere propositum habuisset. Quum igitur peripatetica logica, Melanchthone potissimum auctore, inter protestantes tantam adhuc auctoritatem obtineret, ut expelli posse minime videretur, Ramistæ nonnulli laborantem Ramismum adjuvari ea ratione posse putaverunt, si cum Aristotelica sive Melanchthoniana logica conjungeretur. Quicumque autem Aristotelem sive Melanchthonem ex Ramo perfectiorem reddere studuerunt, quanquam, ut opinor, vere Ramistæ erant, utrique tamen sectæ displicuerunt, et a Ramistis *Pseudo-Ramei*, ab Aristotelicis *Semi-Ramei* appellati sunt (2). Ad suspectum illud philosophorum genus pertinent Paulus Frisius, Bilstenius, Buscherus, Polanus, Libavius et ante omnes Bartholomæus Keckermannus, qui licet peripatetica pleraque sequeretur, attamen multa Ramea admisit. Fuerunt præterea qui paulo liberius hanc conciliationem inter Ramum et Aristotelem tentarent, ut Rudolphus Galenius, Conradus Dictericus et

(1) Brucker., l. c.
(2) Ibid.

Joannes Henricus Alstedius (1), quos Aristotelico-Rameos fuisse asserit Bruckerus. Nec in Germania defuerunt qui, vel inter jureconsultos, Rameis se partibus addicerent, et *causalem* methodum ex dialectica Ramea ad jurisprudentiæ usum traducerent, teste Christiano Thomasio, qui Matthæo Wesenbecio hanc methodum valde placuisse affirmat (2). Quin in theologiam impetum fecit Ramismus, atque theologis quibusdam adeo placuit, ut ad Leibnitii usque ætatem magna frueretur auctoritate.

Verum etiam ultra Germaniæ fines Rami philosophia pervasit. Ad Danos usque penetravit, auctore Andrea Kragio, philosophiæ apud Hafnienses professore, qui post explicatum auditoribus suis Platonem, Ramum quoque et tradere et adversus Aristotelicorum calumnias vindicare non dubitavit (3).

Apud Belgas et Batavos, tum Nic. Nancelii lectionibus (4), tum Rudolphi Snellii (5) viri celeberrimi auctoritate Ramismus innotuit.

In Anglia quoque et Scotia admiratores sectatoresque haud paucos nactus est Ramus : inter quos illustrissimos viros nominare licet, Jacobum Stevartum,

---

(1) Brucker., per. III, part. II, l. II, c. 1, § 11.

(2) In Cautel., c. X, § 17, apud Bruck., ibid., § 10 sub fin.

(3) Bruck., l. c. « Quamvis Dani, auctorit. publica ordinationis eccles. Christiani III, Melanchth. dialectica uterentur, non pertimuit tamen Andr. Kragius, etc. »

(4) Nancelius, ab anno 1562 ad annum 1564, Duaci regius professor fuit. Vid. Nic. Nancelii Trachyeni Noviendunensis D. med. Declamationum liber, Paris., 1599.

(5) Rud. Snellius, ling. hebr. et math. professor Lugdunensis, solide et perspicue Rami præcepta illustravit, in Syntagmate philosophiæ Rameæ. Vid. infra Catal. op. Rami.

Moraviæ comitem (1), Philippum Sydneium, ipsumque in septimo decimo seculo Joannem Miltonum, qui Rami præcepta anno 1670 illustravit (2).

Quinetiam vel in Hispania clarissimum Ramea dialectica interpretem habuit Fr. Sanctium Brocensem, *Minervæ* auctorem, qui in Universitate Salmanticensi grammaticam et dialecticam secundum Rami institutum per longos annos professus est (3).

Nihil igitur Ramismi gloriæ defuit, neque discipulorum numerus, neque sectatorum auctoritas; at ne adversarii quidem defuerunt, eo videlicet ardentiores quo majore et ampliore fortuna Ramus in tot orbis christiani partibus usus est. Duplex autem fuit hominum genus, qui sese novæ philosophiæ infensissimos præstiterint : nempe peripatetici primum, deinde theologi, tum catholici, tum etiam lutherani. Poetas omitto, quibuscum, ut olim Socrates, male convenit (4). Sed hostes et inimicos habuit peripateticos fere omnes, eos in primis quos supra diximus: P. Gallandium (5), Ant. Goveanum, Vicomercatum, Joach. Perionium, Leodegarium a Quercu, Muretum et ante omnes Jac. Carpentarium : cujus tamen philo-

---

(1) Mariæ reginæ fratrem. Vid. Nanc., p. 51, et Rami Proœm. mathemat., l. I.

(2) Works of J. Milton, histor., polit. and miscell. (1753), t. II, p. 614: *Artis logicæ plenior institutio ad P. Rami methodum concinnata.*

(3) Vid. Lancelot, Méth. grecque, in Præfat., § III.

(4) Nancel., in Vita Rami, p. 65.

(5) « Unus P. Gallandius signum extulit, et multos in Ramum hostes suscitavit; in primis domesticos sibi et contubernales, Turnebum, Carpentarium, Quercum, Vicomercatum et alios secum conspirantes in Rami perniciem, in odiumque plus quam Vatinianum, ut Goveanum, Perionium, Muretum et alios nonnullos, qui variis orationibus, vel potius invectivis Ramum perstrinxerunt atrocissime, etc. » Nancel., p. 66.

sophia non adeo peripatetica fuit, sed potius conciliatio quædam inter Platonem et Aristotelem (1). Imo Platonis rempublicam sic admirabatur, ut *Platonicam humanæ societatis regendæ ideam* a se sperari et exoptari vel anno 1573 profiteretur (2). Sed de hoc satis: ceteros Rami adversarios in Gallia perlustremus Theologi plerique ei fuerunt infensi : Salignacius, P. Castellanus, Vigor et fere tota theologiæ Facultas Parisiensis; tum societas Jesu, quæ Ramum haud semel conviciis perstrinxit (3). Jam apud exteras gentes adversarii Rameæ philosophiæ complures exstiterunt, cum in Italia, ut ipse testatur (4), tum apud Helvetios et Germanos. Inter quos eminuerunt Theodorus Beza (5), Melanchthon (6), atque Jacobus Schegkius peripateticorum tunc temporis facile prin-

(1) Vid. quædam Carpentarii opera : Animadversiones in libros tres Dialect. Instit. Petri Rami, Paris., 1555, in-4°, 42 fol. — Compendium in communem artem disserendi, Paris., 1561, in-4°, 17 fol. — Ad Exposit. disputationis de methodo, contra Thessalum Ossatum, Acad. Paris. Methodicum, Responsio, Paris., 1564, in-4°. — Platonis cum Aristotele in univ. philosophia comparatio..., Paris., 1573, in-4°, etc., etc. Hoc de Carpentario judicium ferre minime dubitat doctissimus Bruckerus (Hist. crit. ph., l. c., § V, not. q.) : « Doctrinæ peripat. et platonicæ haud ignarus, utramque autem fœde corrupit. » — Goujet (Mém. hist. et litt. sur le Coll. Roy.): « Plus fameux par ses disputes avec Ramus que par ses propres écrits, quoique ceux-ci soient en assez grand nombre. » Cf. Gabr. Naudé, Advis pour dresser une bibl., etc., cap. 4, p. 45; c. 7, p. 132.

(2) Plat. cum Arist. comparatio, 1573, p. 189, in Epist. ad P. Brulardum, mense jan. 1573.

(3) Vid. supra, p. 67. Cf. Jac. Carpentar., Epist. sec. ad Logodædalum, D. L.; R. Rapin, Réfl., etc.; tum jesuit. Machault, apud Ant. Teissier, El. des h. savants, t. II, p. 405.

(4) Act. mathemat. sec. « Nil *Italis* nonnullis respondi. »

(5) Vid. supra, p. 87. Cf. Rami Epist. ad T. B. V., quem Nancelius (p. 66) Theodorum Bezam Vezelium interpretatur.

(6) Act. mathem. sec. « Nil ingenii et doctrinæ per universam Germaniam principi Melanchthoni respondi. »

ceps (1). Et hi quidem cum superstite Ramo litem egerunt. Postquam autem e vivis ipse sublatus est, ejus sectatoribus sese opposuerunt peripatetici ac theologi permulti : Nicodemus Frischlinus Tubingensis, Philippus Scherbius Altdorfinus, Zacharias Ursinus Heidelbergensis, Josephus Scaliger (2), Jacobus et Cornelius Martini, et alii quos nominare longum et forsan inutile foret (3).

Hæc de Rameæ philosophiæ historia et fatis dicta sint. Nunc superest ut quidquid Rami dialectica ad veritatem contulerit expendamus.

De nomine primum *dialecticæ* agendum est ; quod quidem Ramus in *logicæ* locum haud admodum feliciter induxisse mihi videtur. Ne vero hic de verbis tantum disputari putet aliquis, caveat ne, mutata definitione, mutetur ipsa logicæ materia. Dum enim logica artem cogitandi significat, ratiocinationem tantummodo dialectica designat : quæ præcipua quædam mentis sive rationis cogitatio, non autem omnis est cogitatio. Inde factum est ut Rami dialectica nihil non logicum (ut recte Gassendus observat), non autem logica omnia contineret (4). Certa enim definitione posita, permulta Ramus ea mente omisit, ut inutilia omnia abji-

---

(1) Ramus epistolas quatuor ad J. Schegkium misit, quarum tres in P. Rami et Aud. Talæi Collectaneis etc. reperias. Vid. Catal. op. Rami. Cf. Nancel., p. 66.

(2) Vid. Bayle, Dict. hist. et crit., l. c., not. O.

(3) Vid. Brucker., l. c., §§ X, XI. Cf. Morhof., Polyhist., t. II, l. I, c. I, § 20. Infensum quoque se Ramo præstitit J. Lipsius, cujus hæc sunt verba : « Nunquam ille magnus erit, cui Ramus magnus. » Epist. Miscell. Cent. I, Ep. 89.

(4) Vid. Gassend., De logicæ fine, c. 6, et Instit. log. Præfat. Cf. Brucker., period. III, part. II, l. II, c. 1, § 8.

ceret, eaque solum servaret, quæ ad ratiocinationem ac ratiocinationis usum pertinerent. Imo quum in illa potissimum omissione suam logicæ instaurationem magna ex parte versari sentiret, Scholas dialecticas his verbis orditur : « Causam tam multorum a nobis omissorum suis locis afferamus. » Inter quæ ea primum notanda sunt quæ jam ante Ramum in omni fere logica deerant : nempe cum multa alia, tum doctrinæ seu docendi methodus, errorumque causæ, inductionis et ipsius experientiæ leges. Quum igitur hæc omnia prætermiserint Ramus (1) et fere omnes ante Ramum logici, alia nonnulla de veterum logica consulto detraxit abjecitque : scilicet categorias, quas ut inutiles prorsus respuebat (2), interpretationem quam sive ad metaphysicam, sive ad grammaticam referebat artem (3); deinde quæcumque de sophisticis argumentis præcipi solebant. quod jure Gassendus reprehendit his verbis : « Quin opus etiam videbatur quidpiam de fallaci syllogismo admonere..... Quippe ut nolumus quidem ipsi monetam falsam cudere, sed ubi tamen nobis offertur, discernere juvat qui a germana differat; sic, tametsi nolimus ipsi contexere sophismata, non inutile tamen est, cum nobis aliqua obtruduntur, quemadmodum illa retexantur nosse (4). » Quum autem logica a veteribus recen-

---

(1) Nisi ea quæ de methodo dixerit ita interpreteris, ut ad docendi potius quam inveniendi rationem pertinere censeas : nec absurde quidem, cum id ipsum pene profiteatur Ramus in Dialectica, lib. II, p. 248, 265.

(2) Schol. dial., l. IV, cap. 13. Cf. La logique ou l'Art de penser, part. I, c. 3 ; Gassend., Instit. log.

(3) Ibid., l. V et VI. Eamdem omittunt Gassendus et Ars cogitandi.

(4) Gassend., De log. fine, c. 6.

tioribusque philosophis nunc amplietur, nunc contrahatur, eam idem Gassendus per jocum « lunæ similem esse ait, quæ increscere et decrescere nunquam cesset (1). » Sed de dialecticæ nomine atque materia satis. Sit igitur logica seu dialectica, ut nostro philosopho placet, ars disserendi sive ratiocinandi. Proxima quæstio est de dialecticæ divisione.

Duas esse dialecticæ partes Ramus asserit : inventionem primum, quæ monstrat locos unde sumantur argumenta, deinde judicium, quo argumenta collocentur ac disponantur : unde et dispositio vocatur. Atque hæc quidem dialecticæ partitio, a Platone in Phædro, et ab Aristotele ipso (2) indicata, apud Ciceronem et Quintilianum pro vera et justa habetur (3). Sed quum in Rami dialectica, inventio non in syllogismis sed potius in simplicibus ideis versetur, judicii autem partes sint enuntiatio, syllogismus, methodus, hæc vere Ramea quadripartitæ logicæ divisio esse mihi videtur : præclarum certe laudis caput, quum eam Gassendus et Artis cogitandi auctores secuti fuerint (4), eamque rerum veritati accommodatam esse fatendum sit, siquidem dialectica ars disserendi seu ratiocinandi definiri debuerit. Hoc tamen in Ramo et ceteris logicis qui eadem divisione logicæ usi sunt,

---

(1) Gassend., De log. fine, c. 6 fin.

(2) Analyt. prior., l. I, c. 33; Topic., l. VIII, c. 1; Rhet., l. III, c. 1.

(3) Cicer., Topica ad Trebat., c. 2 : « Quum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, unam inveniendi, alteram judicandi. »

(4) Hæc enim est logicæ apud Gassendum et in Arte cogitandi divisio. Gassendus quatuor logicæ partes instituit : De simplici imaginatione, de propositione, de syllogismo, de methodo. Quatuor etiam easdemque in Arte cogitandi partes reperias : ideas, propositionem, syllogismum, methodum.

reprehendere ausim, quod logicum illum ordinem pro primo et naturali, et ut ita dicam, psychologico cogitationum ordine sumpsisse videantur. Non enim ita analytica via natura procedit, quum potius a compositis judiciis cogitatio nostra primum exorta, ad simpliciores ideas postrema tantum operatione attendere soleat. Sed, quum cogitationes humanas logica in elementa distribuat, et ficta semper omnis divisio fuerit, legitimum forsan erat eam sequi viam, qua a primis et simplicioribus rationis elementis, per magis composita judicia gradatim ad difficiles usque de methodo cogitationes procederetur.

Sed utcumque de eá re sit, jam ad singulas Rameæ dialecticæ partes veniamus; primum inventionem argumentorum, sive idearum ex quibus constat judicium.

Præclara nonnulla hic deprehendimus. Errorem nempe Ramus, exempli gratia, in ideis esse negat, quum revera in judiciis tantum contineri possit; quam sententiam ceteri postea logici plurimum decantare soliti fuerunt. Quum autem mentis notitias diviserit in primas et ortas a primis, non de logica tantum disciplina, sed etiam de illa quæ *Psychologia* dicitur, optime meruit. Quid de illis argumentis dicam, quæ Ramus ab auctoritate divina aut humana pendere professus, in logicam primus introduxit (1)? Quod exemplum Gassendus, Artisque cogitandi auctores, ceterique postea logici, maxima certe cum doctrinæ

(1) Hoc argumentorum genus in rhetorica tantum ab antiquis usurpatum fuerat. Tales autem argumentationes ἀτέχνους vocabant, id est, ut ait Cicero, artis expertes. Vid. Cicer. Topic., c. 4, 19 et 20.

utilitate, imitari minime recusaverunt. Quatuor porro rerum omnium causas, in Aristotele observatas, diligenter explicuit, eamque præsertim quam efficientem vocant : quam in certas species, quæ Aristotelem forsan fugiebant, magna cum cura distribuit.

Neque tamen sine omni culpa totam illam, quæ est de inventione, partem tractavit. Quanquam enim Artis cogitandi auctores de bipertitis divisionum membris, Bruckerus autem de idearum διχοτομίαις (1) Ramum severe nimis insectantur, sunt certe quædam divisionum membra, quæ ut forte et inconsulte aut subtilius distincta, ita cum veritate doctrinaque minime congruentia, haud immerito reprehendat aliquis. Difficile est, exempli gratia, intelligere quid sibi velit illud argumentorum genus, cui nomen est *quodam modo*, in quo subjectum et adjunctum reperias, dum causa et effectus ad *absolutorum* argumentorum genus referantur. Nimia quoque in locis de *similibus* et *comparatis* subtilitate usus est. Quod autem ad locos communes pertinet, recte meo judicio Gassendus : « Ea quæ imaginamur, inquit, et ex quibus propositiones texuntur, in certas classes distribuit Ramus, non quales categoriæ sunt, sed quales loci argumentorum : unde et vice categoriarum topicen eo transtulit, tametsi quo modo tractatur exemplisque illustratur, debere videtur potius consequi quam præcedere tractationem de syllogismo (2). » In logica vero argumentorum inventione, non hoc argumentum vocari decet, quodcumque ad cogitandum conferre potest,

(1) Period. III, part. II, lib. II, cap. 1, § IX, n. 8.
(2) De logicæ fine, cap. 6.

sed, dummodo vere utilis inquisitio instituenda sit, pro medio tantum syllogismi termino vox illa sumatur necesse est, ut præclare docet logicorum princeps Aristoteles : invento enim medio, quælibet subinde quæstio concluditur. Neque melius Gassendum et Artis cogitandi auctores fecisse affirmaverim, cum veram illam solamque artis syllogisticæ rationem, ab eodem Aristotele traditam, aut nequaquam intellexerint, aut prorsus omiserint. Temeritatis enim est et ignorantiæ ea in logica negligere, quæ et vera sunt, et Aristoteli veteribusque deinceps logicis placuerunt (1).

Inventionem sequitur judicium, ut supra diximus. Quum autem Ramo probata fuerit illa dialecticæ artis divisio, qua argumentis seu ideis primum propositis, enuntiatio deinde syllogismusque ac methodus tractentur, ad enuntiationem accedamus. Hanc recte philosophus noster, auctore Aristotele, in axioma et thesim dividere solet. Axioma, sive enuntiationem immediatam, scientiæ principium jure vocari, necessarium autem axioma tribus his notis agnosci censet, si fuerit κατὰ παντός de omni, καθ'αὑτό per se, καθόλου πρῶτον universaliter primum. Quas quidem regulas sæpe ab ipso, sæpius ab ejus discipulis decantatas, laudare Baconus ipse minime dubitat his verbis : « Methodus

(1) Art de penser, part. III, cap. XVII. Ceterum, quantum recentiores logici de argumentorum locis sive τόποις erraverint, hinc facile agnoscitur, quod Aristoteles libros Topicos non ad demonstrationis scientiam, sed ad dialecticam sive probabilem disputandi artem pertinere haud semel docuerit (Topic., l. I, c. 1, 2, et pass.). Scientifica autem inventionis ratio, Aristotele judice, non alia esse potest quam quæ in Prior. Analyt., l. I, c. XXVII sqq. exposita est.

veluti scientiarum architectura est : atque hac in parte melius meruit Ramus, in optimis illis regulis καθόλου πρῶτον, κατὰ παντός, καθ'αὑτό renovandis, quam in unica methodo sua et dichotomiis obtrudendis...... Conatum Rami in hac parte utilem fuisse non inficiamur (1). » Sit igitur triplici Aristotelis, Rami, Baconi auctoritate confirmata regularum istarum veritas. Dubium tamen est utrum ad enuntiationem vere necessariam, an ad eam tantummodo spectent quæ comparando et abstrahendo colligitur : quam pro necessaria Aristoteles, stoicique et plurimi philosophi immerito habuisse mihi videntur. Hoc itaque Aristotelicum in Ramo non adeo mihi placere fateor. In alio contra capite, dum ab Aristotele dissentit, nescio an jure ad duas propositionum sive enuntiationum species tertiam adjecerit earum quas ipse *proprias*, Ars autem cogitandi *singulares* vocat (2).

Melius ille, meo quidem judicio, in iis quæ de simplici syllogismo ex Aristotele retinuit; quod enim male de universa Rami logica Rapinus dixit (3), hoc in loco saltem affirmaverim : nam cum vera sint in ea logicæ parte quæcumque sunt Aristotelis, dubia sunt aut falsa quæ a ceteris logicis addita vel mutata sunt. Scilicet Ramus, quemadmodum proprias seu singulares enuntiationes in logicam introduxerat, ita novum quoddam propriorum syllogismorum genus adjecit; cui quidem invento minime suffragari pos-

(1) De augment. scient., l. VI, c. 2.
(2) Art de penser, part. I, c. 6.; part. II, c. 3.
(3) R. Rapin, Réflex. sur la logique, § VII : « L'idée que Ramus prit de sa nouvelle dialectique n'a rien de raisonnable que ce qu'il a emprunté de la dialectique d'Aristote, qu'il a gâtée en voulant la réformer. »

sum : quanquam enim aliquam utilitatis speciem præ se ferre videtur, hoc tamen ad pueros potius quam ad philosophum logicumque pertinet, cum præter syllogismos generales καθόλου, et speciales seu particulares ἐν μέρει, ab Aristotele perspicue simul et acute distinctos, nullus præterea syllogismus excogitari possit (1). Porro, cum tres syllogismi figuras Aristoteles secundum triplicem medii termini in præmissis positionem instituisset, easdem Ramus plerumque retinuit, ita tamen, ut mutata cujusque figuræ definitione, ordo quoque et locus commutatus fuerit (2); imo duas tantum species aliquando admisit (3). Quantum autem ille erraverit facile intelligat aliquis, quum una solaque quam in tali divisione adhibere liceat regula usus fuerit Aristoteles. Imo Ramus, dum spinas logicæ arti a scholasticis doctoribus intextas evellere conaretur, ea omisit, quæ non modo non inutilia sed etiam omnino necessaria essent : syllogismos nempe quartæ figuræ, quos indirectos primæ figuræ modos peripatetici vocant; deinde utilem illam

(1) Pejus etiam Ramo fecit Gassendus (Instit. log., part. III, can. V), qui tres syllogismorum species instituit : generales, particulares et mistos : hæc nimirum divisio confusa est, neque satis logicæ illi perspicuitati congruit.

(2) Schol. dial., l. VII, c. 5 sqq. Attamen usque ad annum 1556 (Dialect., lib. II), tres Aristotelis figuras cum propria eademque pereleganti definitione, atque Aristotelicum ordinem retinuerat. Quod quidem cum fecerint Artis cogitandi auctores, inventa sanequam mirabilia injusto contemptu premunt (part. III, c. 3 init). Male autem Gassendus eo in loco, quanquam haud ineleganter figuras qualitate, sola autem quantitate modos inter se distinxit (Inst. log., part. III, can. 2, 5).

(3) Vid. postrem. Dialecticæ edit., l. II, p. 130, 135. « Species duæ sunt : prima, ubi argumentum semper sequitur, negatum in altera parte...... secunda, ubi argumentum antecedit in propositione, sequitur affirmatum in assumptione. »

necessarii et contingentis syllogismi distinctionem : quæ quidem omissio gravior in Ramo forsan erat ; namque, si Gassendi verba usurpare licet, « ut axioma distinctum in necessarium et contingens fuerat, sic videbatur operæ pretium quidpiam etiam de necessario et contingente probabilive syllogismo attingere. Quin opus etiam videbatur quidpiam de fallaci syllogismo saltem admonere, ne, cum in illum incidimus, imparati ad solvendum simus (1). » In ea igitur logicæ parte Ramus quoties ab Aristotele dissentit, in errorem aliquem incidit; quidquid autem bene docuit, ex Aristotelis libris deprompsit.

Sed, ne in simplicium syllogismorum doctrina immoremur diutius, id nunc agamus, quo Ramus optime de logica arte meruit : ipsam inquam distinctionem inter simplices et compositos syllogismos. Horum enim artem Aristoteles nusquam tradit, veteresque deinceps logici indicant potius quam demonstrant. Illam autem Rami inventionem Gassendus auctoresque Artis cogitandi propriam sibi fecere (2). Sunt quoque jure conservati connexi ac disjuncti, Rameæ dialecticæ syllogismi, vix aliquando mutatis nominibus. Quin etiam ea ipsa in Arte cogitandi reperias, quæ in Scholis dialecticis æquum sit reprehendere. Quum enim Ramus connexos et disjunctos syllogismos in tribus Aristotelis figuris nunquam concludi affirmasset, iidem syllogismi in Arte cogitandi ita tractati sunt, ut nullam cum reliqua ratiocina-

(1) De log. fine, c. 6.

(2) Gassend., Instit. log., part. III init. et can. 12 sqq.; Art de penser, part. III, c. 2.

tionis doctrina societatem habere videantur (1). Sed ex Ramo quoque repetita sunt, cum alia permulta, tum ea quæ ad syllogismum simplicem e connexis partibus constructum spectant (2). Omnem denique hanc compositorum syllogismorum artem, tot et tantis plenam difficultatibus, inter recentiores nemo simplicius veriusque tradidit, si unum Gassendum excipias : quem quidem Rami inventis usum fuisse vel ex ipsius testimonio constat (3).

Ultima pars dialecticæ superest, de methodo. Hic etiam est magna laude dignus philosophus noster, cum gravissimam hanc quæstionem, ab Aristotele (quod vix credibile est) in logicis libris omissam, primus in logicam introduxerit, et longius quam logici omnes qui ante fuissent visu contendere pluraque mente complecti potuerit. Præclarum igitur illud fuit, de methodico cogitationum ordine tum primum disserere, regulasque methodi afferre, quas Gassendus in Institutione logica (4) ad verbum transcripsit, et ea prænuntiare, quæ diligentiori stylo Artis cogitandi auctores descripserunt (5). Nec inutiliter Ramus methodum doctrinæ et prudentiæ distinxerat, unam ad mentis et scientiæ, alteram ad voluntatis operationes pertinentem (6). Sed dum mathematum studio indulgens, axiomata primum proponi maxime generalia jubet, unde per

(1) Art de penser, ibid., cap. 2, 12.

(2) Rami Dialect., l. II, p. 217 sqq. ; Art. de penser, part. III, c. 2, 11 ; Cf. ibid., p. II, c. 5.

(3) De log. orig. et var., c. 9; De log. fine, c. 6.

(4) Part. IV, can. 6-12.

(5) Art de penser, p. IV, c. 3 sqq.

(6) Dialect., l. II, p. 247, p. 265 sqq. Cf., Art de penser, p. III, c. 20.

syllogismos continuos ad maxime specialia perveniatur, eam doctrinæ methodum instaurat, quæ geometriam optime deceat, universæ autem scientiæ nequaquam utilis esse queat : analysis nempe quæ synthesin præcedere debet, in Ramea dialectica sequitur, quanquam earum naturam satis apte videtur observasse (1). Quod autem inductionem parum curaverit, imo ignoraverit (2), nihil conquerendum puto, cum fere omnes antea philosophi, multique post Ramum idem fecerint (3). Neque vero fieri potest quin logica ab humanarum facultatum scientia pendeat : quæ si peracta unquam fuerit, perfecta inde logica consequatur necesse est; sin minus, imperfecta manet et interrupta, quum leges iis facultatibus imponere non liceat, quarum natura vel nomen ipsum ignoretur. Itaque, cum Ramus quatuor tantum in intelligentia humana facultates, experientiam nempe et intellectum, memoriamque et ratiocinationem, agnovisse videatur, nihil mirum est, si methodum logicamque suam omnem ita instituerit, ut isti quidem imperfecto, quem sibi finxisset, homini satis apte conveniret, extra autem fictos limites falsa prorsus et inutilis evaderet.

Hæc nobis de dialecticis Rami præceptis dicenda

(1) Schol. dial., l. XX, Corollar. de Exercit., col. 764 (ed. 1578).

(2) Inductio in Dialecticæ libr. II, ne semel quidem nominatur. In aliis autem Rami scriptis ita describitur, ut eam esse syllogismum ab enumeratione partium manifestum sit. Schol. dial., lib. VIII, c. 11; l. IX, c. 1.

(3) Ars cogitandi inductionem plane omittit. Gassendus ita loquitur (Inst. log., p. III, can. 11) : « Inductio est alterutrius figuræ..... Si præter enumerata (in inductione) existeret aliud quidpiam, *conclusio* evaderet falsa. » Ipse autem Baco de inductione tam obscure præcipit, ut Gassendus, dum illius logicam enarrat, nihil de illa mentis operatione observet (De log. orig. et var., c. 10).

erant. At ea minime sunt prætermittenda, quæ de natura, usu, exercitatione tam feliciter docuerit. Exercitationis nempe summam vim et utilitatem ante omnia laudat atque extollit, « artisque fructum exercitatione exprimi » persæpe declarat, « neque arte sola, sed multo magis artis meditatione et usu artificem fieri (1). » Porro cum exercitationis partes scriptionem dictionemque esse statueret, illasque a diligenti veterum imitatione pendere arbitraretur, inde factum est, ut exempla ubique plurima in dialectica, perspicuitatis primum, deinde imitationis causa, e veterum scriptis colligeret. Hæc exempla e diversis artibus sumi minime vetuit, ideoque ab Artis cogitandi auctoribus falso crimine insimulatur (2); quem autem imitabantur, eum vituperare minime decuit (3). Imo vero, quis unquam adversus inutiles de præceptis logicis disputationes magis strenue quam Ramus reclamavit? Quis logicæ usum in singulis liberalibus artibus majore constantia expostulare, aut felicius demonstrare valuit? Num is erat aridæ disputationis aut jejunorum præceptorum amator, qui logicos ad ipsorum artis usum revocabat : « Usu, usu, inquiebat, nobis opus est, qui captionibus et distinctionibus eludi non potest.... Ego præcepta volo, et eorum gratia tam multa disputo, ut vera, consentanea, pro-

(1) Dialect., lib. II, fin.

(2) Port-Royal, Art de penser, *prem. disc.* « On trouvera ici quantité de choses de physique et de morale et de métaphysique... Tout ce qui sert à la logique lui appartient; et c'est une chose entièrement ridicule, que les géhennes que se donnent certains auteurs, comme Ramus et les Ramistes, etc. » Cf., ibid., *sec. disc.*, de logicæ usu.

(3) Vid. Gassend., Instit. log., et Art de penser, pass. Hic plurimis in locis exempla ex Rami Dialect. repetita sunt.

pria. juventuti tradantur..... sed cognitionem artis in hoc esse dico, usum artis in hoc esse nego (1). » Num ridiculum in modum dialecticam a ceteris artibus et scientiis sejunxit, qui semper dialecticæ studia cum eloquentiæ et bonarum artium studiis conjungenda esse professus, acerbissime ob id ipsum vexatus tota vita fuit? Nimirum olim fuerunt philosophi qui philosophiam minime ad hominum utilitatem spectare contenderent (2). Sunt adhuc in nostra ætate qui Ramo in crimen vertant, quod logicam ceterarum disciplinarum instrumentum esse dixerit, ejusque usum diligenter, in eloquentia præsertim excoluerit(3). Caveant vero philosophi atque in primis logici ne, modestiæ causa, legitimas suas ipsi partes deserant, quum universo rhetorum consensu constet sine logicæ aut saltem dialecticæ usu nullam effici imo doceri posse rhetoricam. Hæc a Socrate, Platone, Aristotele tradita opinio, a Cicerone accepta transmissaque nobis, apud rhetores omnium gentium valuit valebitque semper, quippe quæ non somniata, sed natura tanquam admonente reperta esse videatur (4). Ramus itaque haud immerito logicæ non modo dignitatem, sed et universam illam utilitatem absque paradoxi specie defendere scriptisque illustrare potuit. Ut enim illius verba usurpemus : « Dialectica generales ratiocinandi leges tradit, quibus reliquæ artes communiter utun-

---

(1) Schol. dial., l. IV, c. 16; Cf., l. VI, c. 6.

(2) Aristot., Metaphys., l. I, c. 1 et al.

(3) B. Saint-Hilaire, La Logique d'Arist., in præf., p. CXXXVI-CXXXVIII et pass.

(4) Vid. elegantiss. dissertationem quæ inscribitur : Étude sur la Rhétorique d'Aristote, auct. E. Havet, Paris., 1846, in-8°.

tur, ut non potius grammaticus et rhetoricus et arithmeticus et reliquarum artium et facultatum homines ratiocinentur, quam dialecticus grammaticus, dialecticus rhetor, dialecticus arithmeticus, dialecticus geometra. Et quanquam reliquarum artium præcepta a dialecticæ præceptis separentur, usus tamen aliarum artium dialecticæ usu carere non potest (1). »

Sed hoc potissimum in Rami dialectica laudandum mihi videtur, quod de logicæ tum artificialis, tum naturalis distinctione et origine primus inter recentiores disseruit. Dum enim, ut illam Aristotelis in Academia Parisiensi dictaturam frangeret, de logicæ historia curiosius investigaretur, artisque primum dialecticæ auctores Zenonem, Socratem, Platonem, aliosque permultos ante Aristotelem fuisse demonstraret, quo Stagyritæ logica ambitio (2) tam multis testimoniis manifeste convinceretur (3); naturam ipsam artificiose disserendi magistram esse docuit : hominem nempe, animal logicum, id est rationale, toties dialectico munere fungi, quoties ratione ipsa utitur. « Hæc, inquit, logica naturalis est facultas omnia disputandi, intelligendi, ut visus et auditus facultas est naturalis videndi, audiendi. Atqui hanc naturalem logicam, Aristotele imprimis teste, auc-

(1) Schol. dial., l. II, c. 1. Gassendus (De log. fine, c. 6 sub fin.) præcipit « ut postquam præcepta ad bene cogitandum quis tenuerit, ad scientias accedat, in quibus illa circa res ipsas deducere ad *usum* valeat, etc. »

(2) Vid. Elench. sophistic. perorationem, in qua se syllogisticæ artis inventorem, imo perfectorem Aristoteles merito profitetur.

(3) Schol. dial., lib. II, c. 1 et al. Quas autem in logicæ historia disquisitiones ad Prometheum usque Ramus Platone duce instituerat, easdem Gassendus (De log. orig.) et Bruckerus (Hist. crit. phil., Per. I) vel ante diluvium continuarunt.

tore, judice (1) probandam et vindicandam suscipio, ne ab imperitis Aristotelis interpretibus in posterum tragicis theatris et contumeliis traducatur (2). » Quemadmodum igitur artem exercitationis regulam jure constituerat, ita naturam artis magistram esse vult : cujus monitiones, tanquam deæ cujusdam oracula sequi doctrina debeat (3). Præclarum sane illud fuit a Ramo traditum, atque a permultis postea philosophis merito celebratum (4). Scilicet, dum Ramus tam sagaciter Aristotelem interpretatur, sanequam dignus est qui Aristotelis non commentator, sed continuator habeatur. Primus enim post scholasticæ philosophiæ tempora, derelicta logica illa quæ circa verba tantum immorabatur, recentiorem hanc logicæ methodum auspicatus est, quæ res, non verba curat, et ad ipsam rerum inventionem accingitur. Tum primum ad vera propriaque principia ratiocinandi vel potius cogitandi artem revocavit, scilicet ad humani intellectus contemplationem. Quod autem adhuc nonnisi in morali doctrina usitatum fuerat, tum primum in dialectica et in omni philosophiæ parte præceptum Socratis : γνῶθι σεαυτόν usurpavit ; de philosophia quidem optime meritus, si Socratis sententiam sincerius intellectam, ad cognitionem mentis, non in alios sed in semetipsam conversæ, spectare agno-

---

(1) Elench. sophist., l. I, c. 2.

(2) Schol. dial., l. II, c. 1.

(3) Dialect. partit., fol. 4 r.

(4) Hoc est exordium libelli De logicæ origine per P. Gassendum : « Principio, cum vulgare sit duplicem logicam distingui, naturalem unam, artificialem alteram, etc. » Cf. Descartes, Disc. de la Méth., init.; Port-Royal, Art de penser, prem. Disc., etc.

visset. Nimirum, quum logica disserendi facultas qua scientiæ omnes utuntur, a ratione pendeat, hæc autem homini insita et ingenita sit, siquidem ars naturam sequi ejusque monitiones in præcepta convertere debet, dicendum fuit quomodo naturam deprehendere, et unde illius monita repetere liceret. Hoc ipsum dicere aggressus, rhetoricæ potius quam veræ philosophiæ consulere visus est. Jubet enim ut nostri cognitionem non in nobis ipsi inveniamus, sed in clarissimo quoque scriptore quæramus. « Ut natura, inquit, facilius appareat, selige de tot viventibus hominum millibus, qui naturæ solertia judicioque præstent........ Tum ex eorum ingeniis veluti speculis imago naturæ resultabit (1). » Verum quidem illud fuit : verius autem fuerat conscientiam ipsam indicare, neque ad mortui verba, sed ad intimos viventis videntisque sensus artem componere. Hoc enim pacto sincerum naturæ testimonium accipere licet. Sed satis Ramo fuit ad naturæ veritatem rhetores, logicos, philosophos revocavisse, donec hujus adipiscendæ methodum commodiorem aliquis traderet. Atque hic Cartesii labor, ea laus propria fuit : cujus saltem prænuntius Ramus fuisse mihi videtur; quocum, ut ipsius verba usurpem, ita concludam : « Nullam naturam tam firmam constantemque esse, quin cognitione sui et virium suarum descriptione firmior et constantior : nullam autem tam languidam et abjectam, quin adjumento artis acrior et alacrior effici possit (2). »

---

(1) Dialect. partit., fol. 2, 3.
(2) Ibid., fol. 4 v., 5 rect.

Quid Ramus in ratiocinandi arte invenerit breviter exposuimus : quam quidem ita excoluit, ut pene cogitandi artem et quasi scientiam humanæ rationis effecerit. In hac enim de omnibus intelligentiæ facultatibus quascumque ipse noverat, disseruit; hujus esse quidquid ad idearum inventionem et usum aut dispositionem pertineat constanter docuit, ita ut non veri tantum inquisitionem, sed pulchri quoque et decori judicium logicum opus esse affirmaverit (1); quo pacto, priore jam extensa logicæ materia per syllogismorum compositorum et quæstionum de methodo adjunctionem, novum etiam subjecit.

Sed quoniam satis quidquid in unaquaque artium liberalium philosophus noster effecerit aut saltem tentaverit dictum sit, jam nunc altiora meditemur, et quid patriæ, quid generi humano intra philosophiæ fines profuerit parumper attendamus.

I. Quisquis veritatem liberali amore prosecutus, philosophiam ante omnia colit, hunc primum nulla a proposito auctoritas deterreat necesse est. Cum igitur ea ingenii animique libertas in reformanda philosophia requiratur, hac ita usus est Ramus, ut nemo melius ea parte philosophum sese unquam præstiterit : quem non Sorbonici furores, non scholasticorum seditiones, non invidorum lethales insidiæ mente solida quatere valuerunt. Quinetiam, ut ad exemplum præcepti quoque vis accederet, hoc non semel palam dicere ausus est, tanquam recentioris ætatis symbo-

---

(1) Schol. rhetoric., lib. IV : « Si decori consilium est ullum, si doctrinæ est ulla propria, dialecticæ inventionis dispositionisque propria erit. » Cf. ibid., lib. XIX init.

lum : « Nulla auctoritas rationis, sed ratio auctoritatis regina dominaque esse debet (1). » Talem opinionem integro ante Cartesium seculo professus, per triginta annos ubique multisque modis dicendo agendoque strenue confirmavit, ac sanguine suo postremum obsignavit : dignus certe qui pro maximo Cartesii prænuntio haberetur.

II. Id etiam in Ramo admiror, quod cum liberrime in veteres inquirere, eosque sæpius erroris arguere solitus fuerit (2), eos tamen laudibus semper extulerit animoque amplexus fuerit, imo sibi suisque discipulis imitandos proposuerit (3). Ceterum non indigestam apud Ramum imitationem ipsam reperias, sed eam « quæ prudenter quos imitari velit seligat. » Sic a veteribus magis verecunde quam vulgo fides est, dissentiebat; imo quod ad veteres spectat, philosophicæ libertatis exemplum prudentius quam ipse Cartesius posteris reliquit.

III. Quum autem in nostra Gallia primus ad illustranda dialecticæ præcepta vernaculo sermone usus fuerit, exemplo quoque præclaro, ut verbis antea Joachimus Bellaius (4), philosophos invitavit, ut

(1) Schol. mathemat., lib. III, p. 78. Cf. Dialect. part., præfat., f. 13 v. sq. ; Schol. dial., l. VI, c. 6, etc.

(2) Hanc Rami libertatem permulti scriptores indigne tulerunt, inter quos Balzac (*Entretiens*, Paris., 1657, in-4°, p. 188) : « Notre retenue sera bien éloignée de l'insolence du docteur Ramus qui faisoit profession d'inimitié avec les héros de tous les âges, qui particulièrement vouloit triompher de Cicéron, qui le vouloit supprimer et lui ôter la vie encore une fois, s'il lui eût été possible, avec l'honneur. »

(3) « In quibus (Cicer., Virgil., etc.) interpretandis mihi aliquando fassus est, se Latomum et Sturmium et Fabrum (Stapulensem) sequi, ab initio sibi propositos bonos et methodicos interpretes. » Nancel., p. 43.

(4) La deff. et illustrat. de la langue françoise, l. I, c. x : Que la langue

propriam quisque linguam tanquam novum in defendendis opinionibus instrumentum adhiberent. Sic philosophiam ac liberales artes a scholis avocatas in medium eduxit, et ab inanibus sholasticorum calumniis ad publicum illud quasi communis sensus tribunal detulit. Hinc primum gallica illa philosophia exorta est, quæ in Cartesii scriptis summam perfectionem assecuta, omnes fere totius Europæ philosophos ad se trahere cœpit.

IV. Hoc quoque philosophiæ quam plurimum profuisse mihi videtur, quod unamquamque liberalium artium excoluerit; hinc enim magnum philosophiæ incrementum fuit. Scilicet, dum omnes disciplinas brevius simpliciusque ac magis perspicue traderet, philosophiæ quoque viam breviorem facilioremque reddidit : quod nescio quomodo Verulamius tam acriter vituperare sustinuerit (1), quum humanior eadem ratione philosophia evaderet : gratum opus

---

françoise n'est incapable de philosophie. « Mais le temps viendra par adventure (et je supplie au Dieu très-bon et très-grand que ce soit de nostre aage), que quelque bonne personne, non moins hardie qu'ingénieuse et sçavante, non ambitieuse, non craignant l'envie ou haine d'autruy, nous ostera ceste fausse persuasion, donnant à notre langue la fleur et le fruit des bonnes lettres.» Hæc ann. 1549 scripsit Bellaius; Cf. Steph. Pasquier, Lettres, lib. I, 2 : A. M. de Tournebu (sçavoir s'il est bon de coucher les arts et les sciences en françois), ann. 1552. Rami gallica Dialectica edita est ann. 1555.

(1) « Ne vero cum hanc contra Aristotelem sententiam fero, me cum rebelle ejus quodam neoterico, Petro Ramo conspirasse augurere. Nullum mihi commercium cum hoc ignorantiæ latibulo, perniciosissima literarum tinea, *compendiorum patre*, qui cum methodi suæ et compendii vinclis res torqueat et premat, res quidem, si qua fuit, elabitur protinus et exsilit, ipse vero aridas et disertissimas nugas stringit. Atque Aquinas quidem cum Scoto et sociis etiam in *non rebus* rerum varietatem effinxit, hic vero etiam in rebus *non rerum* solitudinem æquavit. Atque hoc hominis cum sit, humanos tamen usus in ore habet impudens, ut mihi etiam pro sophistis prævaricari videatur. » Bacon. in Impet. philos.

hominibus, ad quorum usum inventa olim illa et excolenda semper fuit. Cum autem unicuique liberalium artium fines certos assignaverit, præclarum ipsi philosophiæ officium præstitit, quæ distinctionibus gaudet atque valet; ideoque vehementer admiror id ipsum Artis cogitandi auctoribus perridiculum visum fuisse (1), non quod omnes Rami divisiones definitionesque omni vitio carere putem, sed quod divisionibus ac definitionibus certis cum in omni scientia, tum in philosophia præsertim opus esse videatur. Quod bene sensit Ramus, neque velim illum ob id ipsum reprehendi, in quo laudandus potius esset. Quæcumque igitur de ceteris disciplinis optime meruit, hæc ad philosophiæ utilitatem inventa vel tentata sunt.

V. Sed mathematicas artes maximo studio amplexus, cum mathemata omnis philosophiæ elementa et principia, omnis vero methodi rationem esse arbitraretur (2), ita mathematicarum artium amorem præceptis et exemplo, vel post mortem, commendavit, ut iis potissimum studiis cum eruditi omnes, tum philosophi in primis indulgerent. Eadem instinctus mente Cartesius, philosophiam sic instituit, ut geometriæ ordinem rationemque in metaphysicam introducere propositum habuisse videatur. Ea autem fuit a Ramo constanter adhibita disciplinæ ratio ac methodus, geometrica nempe, sive syllogistica, quanquam altius atque subtilius de doctrinæ via et origine indagavisset, quippe qui artes doctrinasque omnes ad

(1) Art de penser, prem. disc.
(2) Schol. math., l. 1, p. 11. Cf. l. II, init. et pass. l. III init.

naturam imitationemque naturæ revocaret, eamque in optimis scriptoribus observari posse asseveraret.

VI. Ramus enim veteres præcipue adamavit, eorumque opera, methodum, præcepta imitatus est, in hoc, ut opinor, cum doctis hominibus sui temporis omnino consentiens; eo vero futuri seculi prænuntius, quod vel in veterum operibus naturam ipsam deprehendere conaretur : verum videlicet genuinumque philosophiæ instaurandæ principium nactus, si το γνῶθι σεαυτόν, ut in moribus et propria vita, sic in omni disciplina tanquam familiare præceptum secutus fuisset. Ut enim in eum ea verba invertamus, quibus Ciceronem insectatur : « O te sapientem, si Apollinem verissime tibi consulentem audire voluisses! Meministi enim quemadmodum responderit, ut naturam potius ducem quam multorum opinionem sequerere (1). » Neque tamen Ramo defuit aliqua humanæ naturæ, rationis præsertim cognitio. Quomodo tam magnifice de humana ratione loqueretur, nisi mente in semetipsam conversa, rerum quasi spectator ipse fuisset (2)? Eodem nempe animo imbutus, cum res

(1) Schol. rhetor., lib. III, sub fin.

(2) Schol. dial., lib. II, c. 1 Sic Ramus de ratione loquitur, verbis nempe usus quæ forte Malebranche non dedignaretur : « Lumen hoc universum, generale, totum, nullis finibus terminatur. Omnia quæ possunt ab hominibus cognosci et intelligi, luminis hujus auxilio cognoscuntur et intelliguntur. Hoc logicum lumen et homini cognatum et naturale..... Cum de logica naturali moneo, de hominis naturali cognatoque lumine moneo..... Cum sit una rationis virtus et natura, licet in distinctis dissimilium generum finibus moderandis et constituendis varia hominum ingenia occupentur,... lex tamen una ratioque..... Denique, ut in mundo sol est unicus et singularis, cujus luce collustrantur quæ usquam sint omnia, sic una ratio hominis est generalis et communis, qua res omnino omnes explicantur et disceptantur. Imo vero lux rationis luce solis longe clarior et

ipsas in natura introspexisset, et vanas illas disputandi formulas ipse ultro oblitus fuisset, primus post scholasticæ philosophiæ tempora, non jam argumentorum, sed rerum inventionem expetivit : scholasticorum methodum sterilem esse ratus, atque haud aliter quam Baconus et Cartesius, veritatem in subtilissimis argutiis, vitamque in hoc corpore tam eleganter ficto atque composito deesse professus.

Omnes igitur philosophicas artes ad rerum veritatem et ad humanæ naturæ observationem, alia licet atque Cartesius ratione, revocandas esse censuit. Quum autem recta quidem mente fuerit, sed paulo nimis temeraria et quæ in scientiæ penetralia rarius descenderet, inde evenit ut fere omnia satis feliciter attigerit, omnia tamen imperfecta reliquerit. Ideo quæcumque in philosophia ille tentavit, eadem Baconus et Cartesius multo perfectius informata sibi omnino propria fecerunt, ita ut in eorum inventis tota detineri, Ramique nomen omittere historia solita fuerit. Injuste tamen cum Ramo actum est : qui si non extitisset, Baconus et Cartesius forsan non fuissent (1). Sit igitur tantis philosophis inferior, dummodo maximus Baconi aut potius Cartesii prænuntius habeatur, in eoque vera agnoscantur Cartesianæ illius philosophiæ primordia, ad quam potissimum si proprias ipsi cogitationes retulerimus, ut justitiæ, ita prudentiæ fuerit. Ut Ramum vera philosophandi me-

---

illustrior. Lux solis mundum duntaxat illum corporeum illustrat ; lux rationis etiam supra mundum per illas supramundanæ infinitatis regiones pervagatur, neque mortalia tantum corpora, sed mentes æternas et divinas intuetur. Lux solis diurno tantum tempore, etc. »

(1) V. Cousin, *Vanini, ses écrits, sa vie et sa mort*, p. 3.

thodus pene fugerit, dummodo viam invenerit, quæ in tradendis literis una solaque meo quidem judicio adhibenda sit. Imo vero, si quis forte hæc omnia neget, fatendum tamen erit infelicem illum virum, si non instructo quodam philosophiæ systemate, si non instaurata liberalibus artibus methodo, at certe parata nobis libertate, optime de genere humano meritum fuisse. Quum enim humanum genus nonnisi lente in omni re progredi ac procedere soleat, et multis tantum elapsis annis ad veterum inventa novum aliquid adjici possit, multi fuerunt homines, omni quidem tempore, præcipue tamen in sexto decimo seculo, qui frustra laboraverint; multi etiam fuerunt qui pro libertate, non propria, sed nostra, fortunam, vitæ tranquillitatem, vitam ipsam libenter dederint, posteris autem ut sanctum hæredium, rectam mentem, veri rectique amorem reliquerint. Inter quos Ramus facile primas tenuit: quem ingenii simul dotes et eximiæ animi virtutes, quem tota philosophiæ et vero impensa vita, quem denique mors atrox nostræ omnium admirationi commendant (1).

(1) Hoc de Ramo judicium tulit Voltaire : « La Ramée, fondateur d'une chaire de mathématiques au collége royal de Paris, bon philo ophe dans un temps où l'on ne pouvait guère en compter que trois...; homme vertueux dans un siècle de crimes, homme aimable dans la société et même, si on veut, bel esprit, etc. » Dict. phil., l. c.

APPENDIX.

I.

TESTAMENTUM P. RAMI (1).

In nomine Dei patris, filii, spiritus sancti.

Ego P. Ramus, professor regius in Academia Parisiensi, animo quidem corporeque valens, de vita autem cogitans cum per se debili, tum incertis susceptæ ad invisendum nobiles exterarum gentium Academias peregrinationis casibus objecta, testamentum ita condo statuoque. Animum Deo, a quo factus est, in cœlestem beatorum familiam adoptandum commendo : corpus terræ, unde ortum est, in judicii diem committo.

E vectigali meo (2) septingentarum libellarum in Pari-

---

(1) Apud Nancelium, in Rami vita, p. 80-85, et Banos., in Rami vita, p. 19-24. Vid. Catal. op. R.

(2) « Annuus illi reditus omni ex parte circiter sexcentorum aureorum, vel bis millenarum librarum fuit. Nam e stipendio regiæ professionis infra quingentas libras quotannis accipiebat. E cubiculis collegii locandis et professorum auditoribus exteris tantumdem forte corradebat. (Sed dum ipse domi legeret cum Talæo, singulis mensibus libras circiter centum colligebat.) E gymnasii reditibus annuis partim urbanis, partim prædiis rusticis ac dominiis, circiter sexcentas vel nongentas libras numerabat. Habuit præterea prioratum quemdam Rhedonensem in diœcesi Cadurcensi, et parœciam

siensi basilica annuarum, lego quingentas in stipendium mathematici professoris, qui triennio arithmeticam, musicam, geometriam, opticam, mechanicam, astrologiam, geographiam, non ad hominum opinionem, sed ad logicam veritatem in regia cathedra doceat. Primum Fridericum Reisnerum in tres primos annos professorem eligo, nomino, creoque: ut inchoata communibus vigiliis opera, optica præsertim et astrologica perficiat. Quo tempore si ad methodum *Mathematico proœmio* propositam, perfecta aut effecta studiose seduloque curaverit, triennium alterum prorogo. Exacto triennio si quid secus, aut sexennio, si ex optato votoque faxit, novam electionem a professoribus regiis sic institui volo. Professionis examen, et jam professione ipsa perfuncto, et ceteris omnibus cujuscumque nationis mathematum studiosis, a collegii Decano in tertium mensem promulgator. Interea prælegendi et ingenii explicandi demonstrandique facultas candidatis esto. Ad examen nemo nisi latinis græcisque literis, et ingenuis artibus præter mathemata reliquis instructus admittitor. Trimestri promulgationis præterito, candidati, præsentibus aut certe rogatis atque invitatis senatus præside primo, primoque oratore regio, tum mercatorum præfecto, deinde professoribus regiis, omnibusque omnino quibus interesse libuerit, publicum examen subeunto, prælegendo septem diebus horam unam de præcipuis singulorum mathematum capitibus, octavo die respondendo et satisfaciendo problematis et theo-

---

Lutetiæ D. Nicolai a cardueto : hanc Talæo sacra capessenti legavit. Ex prioratu Rhedonensi centum coronatos vel plures singulis annis capiebat. Nam abbatiam a cardinale suo oblatam, velut laborum et officiorum præmium, recusavit..... Quo porro tempore domesticos pueros pensione numerata alebat, credibile est ex eo certam pecuniæ summam lucrari solitum. Sed postquam Talæus ab eo discessit, hanc provinciam a se rejecit et abdicavit, studiorum quam rei familiaris procurandæ amantior. Accessit postea fœnus e pecunia in Parisiensem mercatorum œconomiam trapezamve collata. Sumptus faciebat pene reditui æquales : nam præter victum et vestitum, et gymnasii negotiorumque procurationem, litiumque sumptus, duodecim alebat pueros Suessionenses universos. » Nancel., l. c., p. 56-57.

rematis omnibus, quæ contra a quolibet proposita fuerint. Ex omnibus examinatis, qui judicio professorum regiorum, omnium matheseos peritorum aptissimus ad mathematicam professionem videbitur, in triennium proximum eligitor : primaque prælectione, mathematum laudibus juventutem ad capessendum laudatæ scientiæ studium exhortator. Deinceps triennio quoque examen consimile esto, ut tamen professor, qui ante fuerit, ceteris vel paribus candidatis anteponatur. Si quo tempore unicus omnium matheseos partium peritus inveniri non possit, propositum stipendium duobus dividitor : qui sesquianno descriptam professionem æquis partibus exsequantur. Præfectum mercatorum et ædiles, in quorum custodia basilica urbis posita est, oro, ut in perpetuam Parisiensis Academiæ gratiam, vectigal illud perpetuum esse velint, ut si forte redimatur pecunia, in annuum reditum collocetur

E reliquis ducentis libellis, lego centum Honorato Carpenterio avunculo meo, ejusque uxori, si superfuerit : et post utriusque obitum, filiæ eorum juniori et ejus liberis. Centum libellas reliquas Alexandro sororis meæ filio, si tamen progressum in literis hoc munere dignum, judicio meorum procuratorum, fecerit. Secus, quotannis distribuuntor duobus doctissimis omnium et discendi studiosissimis Prællei gymnasii alumnis, in quinquennium tantum : et deinceps succedentibus aliis duobus consimiliter.

Bona paterna maternaque legitimis hæredibus relinquo (1). Quæcumque mihi a gymnasio Prælleo debentur, in arbitrio procuratorum meorum constituo. Bibliothecam et suppellectilem reliquam nominaque omnia lego, semisse altero pauperibus alumnis Prællei gymnasii : altero, procuratoribus executoribusque mei testamenti Nicolao Bergeronio et Antonio Loysello, discipulis quondam meis, modo advocatis in senatu. Quibus, quod ad quingentarum libellarum vectigal attinet, decanum regii collegii custodem adjungo et mortuis

---

(1) « Quæ tamen (prædia) admodum pauca possedit, eaque sola fere avita, forte ad quinque aut sex vigera, quod summum est. » Nancel., p. 79.

substituo. Scriptum mea manu, signatumque Lutetiæ Parisiorum in gymnasio Prælleo, anno salutis 1568, cal. augusti (1).

P. RAMUS.

CHAPELAIN. LAMIRAL.

---

(1) « Ramo successit (in Prællea schola administranda) honestus vir Cl. Serenus, meus discipulus charissimus. » Nancel., p. 57-58.— Regiam eloquentiæ philosophiæque professionem post Ramum sortitus est J. Passerat. Scæv. Sammarth., Elog., lib. II, art. J. Passeratius.

II.

SCRIPTORES VITÆ RAMI.

Inter eos qui vitam Rami enarrarunt aut passim illustrarunt, hi potissimum nominandi sunt, quos sæpius nostræ narrationis testes adhibuimus:

Audomarus Talæus, in Academia ad Carol. Lothar., ann. 1548.

Jacobus Carpentarius: Animadversiones in tres libros dial. instit. P. Rami, 1555; Ad Exposit. Thessali Ossati de methodo, Responsio, 1564, etc.

Ramus ipse, præsertim in Scholis dialect. et mathem., orationibus, præfat., epistolis.

Joannes Thomas Freigius, in Petri Rami Vita, quam Prælectionibus in Ciceronis orat. octo consul., ann. 1574, Francof., in-4° editis, præfixit (p. 5-46).

Theophilus Banosius, ann. 1576. Petri Rami Veromandui Comment. de relig. christ.... Ejusdem Vita a Theophilo Banosio descripta. Francof., ap. Andr. Wechelum. 1576, in-8° (pp. 39).

La Croix du Maine, ann. 1584, Biblioth. franç. (edit. 1772, Paris., in-4°, t. II, p. 310 sqq.).

Scævola Sammarthanus, ann. 1598, in Elogiorum libro II, elog. Petri Rami.

Nicolaus Nancelius, ann. 1599. Petri Rami Veromandui, eloq. et phil. ap. Parisios profess. regii, Vita, a Nic. Nancelio Trachyeno Noviodunensi, Rami discipulo et populari descripta. Parisiis, 1599, in-8°, pp. 85.

Theodorus Zuingerus, in Theatro humanæ vitæ (1604), pass.

Stephanus Pasquier, Recherches de la France, l. IX, pass., et Lettres, pass.

Jac. Aug. Thuanus (de Thou), Hist. sui temporis, pass., præsertim in libr. LII, ad ann. 1572.

Du Boulay, Hist. Universitatis Paris. (1673), t. VI, passim, et in Catalogo illustr. Academicorum octavi seculi.

L. Moréri, Dict. (1673), art. Ramus.

Ant. Teissier, Éloges des hommes savants (1683), t. II, in elog. P. Rami, et passim.

P. Bayle, Dictionnaire historique et critique (1696), art. Pierre Ramus.

D. Michel Félibien, Histoire de la ville de Paris, augm. par D. Guy-Alexis Lobineau, etc. (1725, in-fol.), t. II, p. 987, p. 1025 sqq., p. 1083, etc.

Niceron, Mémoires pour servir à l'hist. des h. ill. dans la Républ. des lettres, avec un catal. raisonné de leurs ouvr. (ann. 1730 sqq.), t. XIII, p. 259 sqq.

Jac. Bruckerus, Hist. critica philosophiæ, period. III, l. II, c. 1, et pass. in tomi IV parte altera (1744).

Cl. P. Goujet, Mémoire historique et littéraire sur le collége royal de France (1758), t. II, art. P. Ramus, et passim.

Gaillard, Hist. de François I (1769), l. VIII, c. 2, 3, pass.

Ant. Savérien, Vies des philosophes modernes (1773, in-12), t. I, p. 1-36.

Tennemann, Geschichte der phil., t. IX, p. 420 sqq. (1814).

V. Cousin, Cours, 2e série (1829), t. II, lect. X, p. 269 sqq., et Fragm. de phil. cartésienne, p. 6.

Weiss, Biographie universelle, art. Ramus.

A. F. Théry, Mém. sur l'enseignement public en France au XVIe siècle, et spécial. sur les écrits et la personne de Ramus, Versal., 1837, in-8°, pp. 42.

III.

CATALOGUS OPERUM RAMI,

IN QUATUOR SERIES DISTRIBUTUS, QUARUM

Prima ea complectitur opera quæ vivente adhuc Ramo in lucem prodierunt : quæ fere omnia post ejus obitum typis iterum iterumque commissa sunt, ut infra demonstrabitur.

Secunda ad posthumos Rami libros pertinet.

Tertia complectitur quæcumque ab eo perscripta aut inchoata, in lucem nondum edita sunt.

Quarta denique eorum est de quibus non satis constat, aut quæ Ramo a diversis scriptoribus immerito sunt attributa.

Ordo præterea indicabitur, secundum quem omnia quæ exstant philosophi nostri opera edenda potissimum esse nobis videntur.

(Hoc signo * notantur in hoc catalogo quæcumque a doctissimo Niceron (Mémoires, t. XIII, p. 290 sqq., et t. XX, p. 64) nequaquam indicata sunt).

SERIES I.

1. * Petri Rami Veromandui Dialecticæ Partitiones, ad celeberrimam et illustrissimam Lutetiæ Parisiorum Academiam. Cum privilegio. Excudebat Jacobus Bogardus, Parisiis, 1543, in-8° parvo, fol. 85.

— Petri Rami Veromandui Dialecticæ Institutiones, ad celeb., etc. Cum privil. Paris., excud. Jac. Bogardus mense septembri 1543, in-8°, fol. 58.

— * Tertia editio ante ann. 1547 apparuit, siquidem Jac. Carpentario fides adhibetur : « Tertia (editio), inquit, cum tibi exuli de philosophia scribere non liceret, fratri (Talæo),

cujus ore loquebaris, adscripta est. » Animadv. in librum I Dial. Inst. P. Rami, fol. 18 rect.

— * Eædem. Lugduni, ap Theobaldum Paganum, 1547, in-8°, pp. 77.

— * Eædem. Paris., 1548, in-8°. « Qua editione perquam nitida nos utimur, » inquit Bruckerus, l. c., t. V, pp. 551, not. h. — Equidem nunquam in eam incidi.

— * Eæd. Paris., ap. Matth. Davidem, 1549, in-8° (In catal. Bibl. reg. Paris.).

— * Petri Rami Veromandui, eloquentiæ et philosophiæ professoris regii, Institutionum Dialecticarum libri tres, Audomari Talæi prælectionibus illustrati, ad Carolum Lotharingum cardinalem. Cum gratia et privilegio regis ac senatus. Paris., ex typographia Matthæi Davidis, 1552, in-8°, pp. 350 (Paris. excud. Matth. David non. januar. 1552).

— * Iid. Lugduni, ap. Gulielmum Rovillium, 1553, in-8°, pp. 381.

— * Iid. Paris., ap. Ludovicum Grandinum, 1554, in-4°, pp. 288. — Hic Ramo finis fuit, ut opinor, Dial. Institutiones edendi tribus libris; ab anno sedenim 1555 Dialecticam seu vernacule, seu latine duobus tantum libris contentam typis mandavit. Sed mortuo Ramo, apparuerunt rursum Dial. Inst. libri tres, discipulorum commentariis illustrati; has autem ex multis aliis notare licet posthumas editiones :

— * P. Rami Dialect. Institutiones, opera J. Th. Freigii editæ. Basil., ap. HenricPetr.

— P. Rami Institutiones dial. libris III, cum quæstionibus prælectionum et repetitionum Friderici Beurhusii. Tremoniæ, 1581, in-8°.

— Eædem. Aud. Talæi prælectionibus illustratæ et emendatæ per Joannem Piscatorem. Francofurti, 1583, in-8°.

— Eæd. scholiis Guilelmi Tempellii illustratæ. Ejusd. epistolæ de P. Rami dialectica; contra J. Piscatoris Responsionem Defensio. Francof., 1591, in-8°.

— Eæd. E regione comparati Phil. Melanchthonis dialecticæ libri quatuor, cum explicat. et collationum notis, per Frid. Beurhusium. Francof., 1591, in 8°.

2. Petri Rami Veromandui Aristotelicæ Animadversiones. Cum privilegio. Parisiis, excudebat Jacobus Bogardus, mense septembri 1543, in-8°, fol. 81

— Eæd. Lugduni, ap. Ant. Vincentium, 1545, in-8°, pp. 128 (Lugduni, Godofridus et Marcellus Beringi, fratres, excudebant).

— * Petri Rami Veromandui Animadversionum Aristotelicarum libri XX, ad Carolum Lotharingum, cardinalem Guisianum. Lutetiæ, 1548, apud Jo. Roigny, in-8°, pp. 473. Cum gratia et privilegio regis ac senatus.

— * Iid. Cum grat. et privil. regis ac senatus. Lutetiæ, e typogr. Matthæi Davidis, 1548, in-8°, pp. 473 (Excud. M. David, mense maii 1548).

— * Iid. Editio secunda. Lutet., ex typogr. M. Davidis, 1549, in-8°, pp. 375 (Excud. M. David, II cal. mart. 1549).

— * P. Rami, eloq. et philos. profess. regii, Arist. Animadv. liber nonus et decimus in posteriora Analytica. Ad Carol. Lothar. cardin. Parisiis, apud Carolum Stephanum, typogr. regium, MDLIII, in-8°, pp. 146 (cum indice et præfatione Rami, Lutet., 1553, cal. jan.).

— P. Rami, regii eloq. et phil. profess., Animadversionum Aristot. libri XX, nunc demum ab authore recogniti et aucti, ad Carol. Loth. Cardin. Paris., apud Andream Wechelum, 1556, in-8°. Cum privil. regis (dato idibus sept. 1555). — In partes tres easdemque plerumque separatas ea editio divisa est : 1. Octo libri (I-VIII) De categ., interpret., et prioribus analyt., pp. 328; 2. libri IX et X in post. analyt., pp. 271; 3. libri octo (XI-XVIII) in totidem Arist. topica, pp. 141.

— * P. Rami, etc. Animadv. Arist. libri octo in totid. Arist. topica, ad Carol. Loth. card. Paris., 1556, in-8°, pp. 80.

— * Quod sit unica doctrinæ instituendæ methodus, locus e IX. Animadversionum P. Rami, ad Car. Loth card. Paris., ap. Andr. Wechel., 1557, in-8°, fol. 22.

— * P. Rami, etc. Anim. Arist. libri XX, etc. Paris., 1560, in-8°.

— Vid. infra Scholas in liberales artes, 1569.

— * P. Rami Animadv. Aristot., opera J. Th. Freigii, Basileæ, apud HenricPetr., typis mandata fuerunt.

3. * Tres orationes a tribus liberalium disciplinarum professoribus Petro Ramo, Audomaro Talæo, Bartholomæo Alexandro, Lutetiæ in gymnasio Mariano habitæ, et ab eorum discipulis exceptæ, anno salutis 1544, pridie nonas novembris. Apud Jacobum Bogardum, in-4°, fol. 16, absque loci et anni indicatione: nimirum Parisiis, eodemque anno editæ sunt illæ orationes, quarum tertia, a Ramo habita, a fol. 9 rect. incipit.

— Vid. infra Petri Rami et Aud. Talæi Collectan. præfat., epist., orationes.

4. Euclides. Paris., 1544 (1545), in-8°. Epistola ad Carol. Loth. (die 28 jan. 1544) hunc latinum Euclidem Ramus commendat.

— Euclides. Paris., apud Thomam Richardum, 1549, in-8°, fol. 55 (Paris. excud. Th. Richardus, 1549), cum præf. Rami, 5 cal. febr. 1544.

5. Oratio habita Lutetiæ in gymnasio Prælleorum, calendis decembris, anno 1545 (Dubium est an separatim in lucem edita fuerit).

— Vid. infra P. Rami et A. Talæi Collect. præfat., etc.

6. Somnium Scipionis, ex libro 6. Ciceronis de Republica, Petri Rami prælectionibus explicatum. Paris., apud Jac. Bogardum, 1546, in-8°.

— * Id. Secunda editio. Paris., ap. Matth. David., 1550, in-4°.

— * M. T. Ciceronis Somnium Scipionis, ex sexto libro de Republica, cum annotationibus Erasmi Roterod., Petri Olivarii, *Petri Rami*, et doctissimi cujusd. viri, margini adj., etc. Paris., ex typogr. Th. Richardi, 1561, in-4°, fol. 7.

— * Vid. infra Prælect. in Cicer. orat. octo, etc., et Prælect. in Cicer. orat. et scripta nonnulla.

7. Oratio de studiis philosophiæ et eloquentiæ conjungendis, Lutetiæ habita anno 1546 (4 id. oct.), in-8° (ap. Niceron,

l. c., num. 6 ; sed eam orationem eodem anno illo 1546 typis excusam fuisse haud satis compertum habeo).

— * It. Paris., ap. Jac. Bogard., 1547, in-4°, simul cum Brutinis questionibus (fol. 44-50 v.).

— * It. Paris., ap. Martinum Juvenem, 1549, in-4°.

— It. Paris., 1549, in-8°, simul cum Rhetoricis distinct., bis edita (ap. M. Davidem).

— * It. 1550, in-8°, simul cum Rhet. dist. in Quintil.

— Vid. infra P. Rami et A. Talæi Collect., etc.

— * Vid. infra Prælect. in Cic. orat. octo, etc., et Prælect. in Cic. orat. et scripta nonnulla.

8. * Petri Rami Veromandui Brutinæ quæstiones in Oratorem Ciceronis, ad Henricum Valesium Galliarum Delphinum. Cum privilegio (5 feb. 1546). Parisiis, apud Jacobum Bogardum, 1547, in-4°, fol. 43. Sequitur (fol. 44-50) Oratio de stud. phil. et eloq conjungendis

— Petri Rami Veromandui Brutinæ quæstiones, ad Henricum Valesium, Franciæ regem. Secunda editio. Parisiis, ex typographia Matthæi Davidis, 1549, in-8°, pp. 136.

— * It. Tertia editio. Parisiis, 1552, in-8°, pp. 126. Cum privilegio. Excud. Matth. David, idibus nov. 1552.

— * It. Cum Ciceroniano. Basileæ, per P. Pernam, 1576, in-8°, pp. 418.

— * Vid. infra Scholas in liberales artes, et Prælect. in Cicer. orat. octo consulares.

9. Petri Rami Veromandui Rhetoricæ distinctiones, ad Carolum Lotharingum, cardinalem Guisianum. Oratio ejusdem de studiis philosophiæ et eloquentiæ conjungendis. Parisiis, ex typographia Matthæi Davidis, 1549, in-8°, pp. 109.

— * It. Paris., ex typ. M. Davidis, 1549, in-8°, pp. 119.

— * Petri Rami Veromandui Rhetoricæ distinctiones in Quintilianum, ad Carolum Lotharigum cardinalem Oratio ejusdem de studiis philosophiæ et eloquentiæ conjungendis. Parisiis, 1550, in-8°, pp. 128.

— * Vid. infra Scholas in liberales artes, et Prælectiones in Ciceronis orat. octo consulares.

10. Platonis epistolæ, a Petro Ramo latinæ factæ, et dialecticis rerum summis breviter expositæ, ad Carolum Lotharingum cardinalem Guisianum. Parisiis, ex typographia Matthæi Davidis, in-4°, pp 96.

— Eæd. ad Carolum Loth. cardinalem. Secunda æditio. Paris., ex typogr. M. Davidis, 1552, in-8°, pp. 96.

— * Vid. infra Prælect. in Cicer. orat. octo consulares.

11. * M. T. Ciceronis de fato liber, Petri Rami prælectionibus explicatus, ad Carolum Lotharingum cardinalem Guisianum. Lutetiæ, apud Vascosanum, 1550, cum privilegio (dato Lutetiæ, V cal. oct. M.D.XLIX), in-4°, fol. 27.

— * Id., ad Carol. Loth., cardinalem, Mæcenatem suum. Ibid., 1550, in-4°, fol 27.

— Id., Paris., 1563, in-8°.

— Id., Francof., 1583, in-8°.

— * Vid. Prælect. in Cicer. orat. octo consulares, et Prælect. in Cicer. orat. et scripta nonnulla, etc., 1582.

12. — * M. T. Ciceronis epistola nona ad Lentulum, dialecticis rerum summis breviter illustrata (absque auctoris nomine). Lutetiæ, apud Vascosanum, 1550, cum privilegio (Lutet. Paris., V cal. oct. 1549), in-4°, fol. 16.

— * Vid. Prælect. in Ciceronis orat. et scripta nonnulla.

13. — * Prælectiones in librum I Ciceronis de legibus, nescio quo primum anno editæ in lucem fuerint, suspicor tamen inter ann. 1550 et 1554 primum typis mandatas fuisse. Vid. Nancel., in Rami Vita, p. 144 Cf. Adr. Turnebi Apologia adversus quorumdam calumnias, ad lib. prim. Ciceronis de legibus. Paris., 1554, in-4°.

— * Vid. infra Prælect. in Ciceronis orat. octo consul. (ed. 1580), et Præl. in Cicer. orat. et scripta nonnulla

14. Petri Rami Veromandui pro philosophica Parisiensis Academiæ disciplina Oratio, ad Carolum Lotharingum cardinalem. Parisiis, ex officina Ludovici Grandini, 1551, in-8°, pp. 125. (Parisiis excudebat Matthæus David, cal. mart. 1551)

— * P. Rami pro phil. Paris. Acad. discipl. Oratio ad Senatum Paris., ap. Matth. David., 1555, in-8° (In Catal. Bibl. reg. Paris.). — It., 1557, in-8° (Niceron, t. XX, p. 64).

— Vid. Scholas in lib. artes, et Collectan. præf., orat., etc.

15. Petri Rami, regii eloquentiæ philosophiæque professoris, Oratio initio suæ professionis habita anno 1551, octavo calend septemb. Ad Carolum Lotharingum cardinalem. Parisiis, ex typographia Matthæi Davidis, 1551, in-8°, pp. 35. (Parisiis excudebat Matthæus David, quinto calend. septemb. 1551).

— Vid. Prælectiones in Ciceronis orat. octo consulares, et Collectan. præfat., orat., epist.

16. * M. Tullii Ciceronis de lege agraria contra P. Servilium Rullum tribunum plebis orationes tres, Petri Rami Veromandui, eloquentiæ et philosophiæ professoris regii, prælectionibus illustratæ, ad Carolum Lotharingum cardinalem. Lutetiæ, apud Ludovicum Grandinum, 1552. Cum privilegio. In-4°, pp. 131 (cum indice).

— P. Rami enarrationes in 2. et 3. orationem Ciceronis de lege agraria, in orationem pro Rabirio perduellionis reo, in quatuor Catilinarias. Basileæ, 1553, in-8° (Nicer., n. 13).

— * Vid. Prælect. in Ciceronis orat. octo consulares, et Prælect. in Ciceronis orat. et scripta nonnulla.

17. * M. Tullii Ciceronis in L. Catilinam orationes IIII, Petri Rami, eloquentiæ et philosophiæ professoris regii, prælectionibus illustratæ. Ad Carolum Lotharingum cardinalem. Lutetiæ, apud Carolum Stephanum, typographum regium, 1553, in-4°, pp 141 (cum indice).

— It. Basileæ, 1553, in-8° (Niceron, n. 13).

— * Vid. Prælect. in Cicer. orat. octo consulares, et Prælect. in Cicer. orat. et scripta nonnulla.

18. P. Rami, eloquentiæ et philosophiæ professoris regii, Arithmeticæ libri tres, ad Carolum Lotharingum cardinalem. Parisiis, apud Andream Wechelum, 1555, cum privilegio regis (ibid. septemb.), in-4°, pp. 110 (cum præfatione Rami ad Carolum Lotharingum).

— * Iidem. Secunda editio. Paris., A. Wechel., 1557, in-8°, pp. 140.

— * Arithmetica (absque auctoris nomine). Parisiis, apud Andr. Wechelum, 1562. Cum privilegio regis. In-4°, pp. 98 (duob. libris).

— * It. Ibid., 1562, in-8°, pp. 70 (duob. lib.).

— Arithmeticæ libri duo. Basileæ, per Euseb. Episcopium et Nicolai fratris hæredes, 1569, in-4°, pp. 48.

— Arithmeticæ libri duo. Parisiis, 1577, in-8°.

— * P. Rami Arithmeticæ libri duo : Geom. septem et vig. Basil., per Euseb. Episcopium et Nicolai fratris hæredes, 1580, in-4°, pp. 52 et 192.

— * Iid. a Jo. Stadio recogniti. Paris., 1581, in-12.

— * P. Rami Arithmetices libri duo, et Algebræ totidem : a Lazaro Schonero emendati et explicati, etc. Francof., ap. hær. A. Wecheli, 1586, in-8°, pp. 406.

— Iid. quæstionum forma propositi in us. sch., et illustr. a M. Tob. Steger. Lipsiensi. Francof., Jo. Wechel., 1591, in-8° (1691 ap. Niceron).

— Arithmeticæ libri duo, a Lazaro Schonero emendati et explicati. Francofurti, 1592 (apud Niceron, 1692), in-8°.

— It. Ibid., 1599, in-4° (ap. Niceron, 1699).

— * Petri Rami Arithmeticæ libri duo, Geometriæ septem et viginti, a Lazaro Schonero recogniti et aucti. Lemgoviæ, 1599, in-4°, pp. 240 et 178.

— * Iid. Hanoviæ, 1611, in-12.

— * Arithmeticæ libri duo, a Martino Rameo illustrati. Paris, Gueflier, 1612, in-8°.

— * Arithmeticæ libri duo. Francofurti, 1612, in-8°.

— Petri Rami Arithmeticæ libri duo, cum commentariis Willebrordi Snellii, R. F. Lugd. Batav. 1613, in-8°.

— * P. Rami Arithmeticæ libri duo, cum comment. Willebr. Snellii, R. F. ex officina Plantiniana. Raphelingii, 1613, in-4°.

— * P. Rami Arithmeticæ libri duo, cum commentariis Willebrordi Snellii. Raphelingii, 1613, in-8°, pp. 106.

— * P. Rami Arithmeticæ libri duo, Geometriæ septem et viginti. Francofurti ad Mœnum, sumptibus Wechelianorum, 1627, in-4°.

19. Dialectique de Pierre de la Ramée, à Charles de Lorraine, cardinal, son Mécène. A Paris, chez Wéchel, 1555, in-4°, pp. 140.

— * Dialectique de Pierre de la Ramée, à Charles de Lor-

raine, cardinal, son Mécène. En Avignon, par Barthélemy Bonhomme, 1556, in-8°, pp. 147.

— * Cavendum est ne consimili titulo deceptus, pro illa Rami Dialectica gallice conscripta gallicam quamdam dialecticæ latinæ versionem accipias, quæ inscribitur : La Dialectique de M Pierre de la Ramée, professeur du Roy, comprise en deux livres, selon la dernière édition. Augmentée d'un petit traicté de l'exercice et practique non seulement de la logique, mais des autres arts et sciences, pour en tirer le vray fruict et utilité. A Paris, chez Guillaume Auvray, 1576, in-8°, fol. 57. — L'imprimeur au lecteur, S. : « J'espère, amy lecteur, que la *translation* de cette Dialectique te sera d'autant plus aggréable (*sic*), etc. »

20. * P. Virgilii Maronis Bucolica, P. Rami, eloquentiæ et philosophiæ professoris regii, prælectionibus exposita : quibus poetæ vita præposita est. Ad Carolum Lotharingum cardinalem. Parisiis, apud Andream Wechelum, anno salutis 1555, in-8°, fol. 82.

— * P. Virgilii Mar. Bucol., P. Rami, eloq et phil. prof. regii, prælectionibus illustrata, etc. Editio secunda. Parisiis, apud Andream Wechelum, 1558, cum privilegio regis, in-8°, pp. 184

— * It. Editio tertia Lutetiæ, apud Andr. Wechelum, 1572, in 8°, pp. 184.

— * It. Editio quarta. Francofurti, apud Andream Wechelum, 1582, in-8°, pp 168 (cum indice rerum).

— It. Francofurti, 1584, in-8° (Vid. Niceron, l. c., num. 46. Cf. Catal. Bibl. Bodleianæ, 1620).

— * It. Editio quinta. Francofurti, apud hæredes Andreæ Wecheli, 1590, in-8°, pp. 168 (cum indice).

21. * P. Virgilii Maronis Georgica, P. Rami, eloquentiæ et philosophiæ professoris regii, prælectionibus illustrata, ad Carolum Lotharingum cardinalem. Parisiis, apud Andream Wechelum, anno salutis 1556. Cum privilegio regis (dato Luteliæ idib. septemb), in-8°, pp. 367.

— * It. 1558, in-8° (In Cat. Bibl. reg. Paris.).

— * P. Virgilii Georgica, P. Rami professoris regii prælect. illustr., ad Carol. Loth. card. Paris., ap. Andr.

Wechelum, 1564, cum privilegio regis (3 id. jun. 1557), in-8°, pp. 367.

— * P. Rami Veromandui, regii eloq. et phil. prof. celeberrimi, prælectiones in Virgilii Maronis Georgicorum libros quatuor, diligenti recognitione multis in locis emendatæ. Francof., ap. Andr. Wechelum, 1578, in-8°, pp. 368, cum indice. — Bucolica pro Georgicis eo anno indicat Catal. Bibl. reg. Paris, sed immerito.

— P. Rami Verom., etc., Prælect in P. Virg. Mar. Georgic. libros IIII, etc. Francof., ap. hæredes Andr. Wecheli, 1584, in-8°, pp. 366.

— * It. Francof, 1590, in-8° (In Catal. Bibl. reg. Paris.).

— * It. Francof., typ. Wechelianis, ap. Cl. Marnium et hæredes J. Aubrii, 1606, pp. 368.

22. * P. Rami, regii eloquentiæ et philosophiæ professoris, Dialecticæ libri duo, Audomari Talæi prælectionibus illustrati. Ad Carolum Lotharingum cardinalem. Parisiis, apud Andream Wechelum, 1556, cum privilegio regis (Lutet., 7 cal oct. 1556), in-8°, pp. 283.

— * P. Rami Dialecticæ libri duo, Audomari Talæi prælectionibus illustrati, ad Carolum Loth. card. Paris., apud A. Wechelum, 1560. Cum privilegio regis (dato 3 id. jun. 1557), in-8°, pp. 241.

— * Iid. Paris., apud A. Wechelum, 1566, in-8°, pp. 450 (cum indice).

— * Iid. anno 1572, postremo sine prælectionibus editi sunt.

— * Iid. Colon., ap. Theod Baum., 1572 et 1577, in-8°.

— * P. Rami, regii professoris, Dialecticæ libri duo, exemplis omnium artium et scientiarum illustrati, etc., per Rolandum Makilmenæum Scotum. Londini excud. Th. Vautrollerius, 1574, in-8°, pp. 149.

— * Petri Rami Veromandui, regii professoris, Dialecticæ lib. duo, ex variis ipsius disputationibus et multis Audomari Talæi commentariis denuo breviter explicati a Guilielmo Rodingo Hasso. Francofurti, apud Andream Wechelum, 1576, in-8°, pp. 171. G. Rodingus, in Præfatione ad Rev. princ. D.D. Ludovicum, ita perorando loquitur : «... Jam *secundo* tibi dialecticam P. Rami tibi

inscriptam et dicatam emitto. Heidelbergæ, 3 id. jan. 1576. »

— * Iid. Lugduni, apud Ludov. Cloquemin, 1577, in-8°, pp. 171.

— * Iid. Cum A. Talæi comment., 1578, in-8° (In Catal. biblioth. Bodleianæ).

— * Iid. exemplis omn. art., etc., per Rol. Makilmenæum Scotum. Francof., ap. Wechel, 1580, in-8°.

— * Iid. Cum explicationum quæstionibus, auct. Fr. Beurhusio, etc. Londini, ex offic. typogr. Henrici Bynneman, 1581, in-8°, pp. 267.

— * Iid. Cum scholiis J. Piscatoris. Francof., ap. Zach. Palthenium, 1586, in-8°; tum Francof., ap. Joan. Wechelum, 1581 et 1587, in-8°.

— * Iid. Erford., ap Conrad. H. Preugerum, 1587 (In Bibl. classica, etc. Francof., 1625, p. 1341).

— * P. Rami Dialecticæ libri duo : et his e regione comparati Philippi Melanchthonis Dialecticæ libri quatuor, cum explicationum et collationum notis.... Auctore Frid. Beurhusio, etc. Francofurdi, apud Joannem Wechelum, 1588, in-8°, pp. 232.

— * Iid. Cum comment. Guil. Rodingi. Francof., ap. hæredes A. Wecheli, 1589, in-8° (In Bibl. classica, etc. p. 1341).

— * Iid. Scholiis G. Tempellii illustrati. Quibus accessit eod. auctore de Porph. prædic. disputatio; Epist. de Rami dialect.; Contra J. Piscat. resp. defensio, in capita XXIX redacta. Francof., 1591, in-8°.

— * Iid. Ex emendat. J. Piscatoris, Hanoviæ, ap. Guil. Anton., 1595 (In Bibl. classica, etc., p. 1341).

— * Iid. Editio quinta. Francof., ap. hæredes A. Wecheli, 1596, in-8°, pp. 139, cum præfat. Rodingi Hassi.

— * Iid. Cum Aud. Thalæi (*sic*) Rhetorica, etc. Francof., ap. Zachar. Palthenium, MDC, in-8°, pp. 50 et 103.

— * Iid. Magdeburgi, ap. Francum, 1600, in-12.

— * Logica P Rami, perpet. tabulis M. Sam Sabat delineata et succincto comment. Joan. Henr. Alstedii illustrata, Francof. 1617, in-4°.

—Alias Dialecticæ illius editiones typis sæpenumero excusas fuisse in variis Germaniæ locis, testatur Bibliotheca classica, etc. (Francof., 1625), p. 1341 sqq.

— Nancel., p 14: « Dialectica illa celebris quotannis nova novis typis cuditur, veteribus et annuis exemplaribus cunctis distractis. » — Id., p. 35 : » Quam ideo jam ante dixi, *vicies* (in sola Gallia, ante ann. 1599), ni fallor, novis typis excusam atque divenditam. »

23. * Audomari Talæi Admonitio ad Adrianum Turnebum, Parisiis, apud Andream Wechelum, 1556, in-4°, fol. 22. Quem quidem librum a Ramo conscriptum fuisse constat. « Cum Adrianus Turnebus orationem invectivam et plane injuriam in Ramum edidisset, levi de causa irritatus, Ramus, nactus adversarium (ut putabat) sua responsione dignum...., per totum biduum triduumve perdius ac pernox Turnebo respondit..... Quam (responsionem) ego pari celeritate percurri, adpunxi, descripsi ac typis mandavi, apud Wechelum pernoctans..... Hoc autem opus concitatissimum, ne a pertinaci sua constantia descivisse Ramus videretur, sub Talæi nomine divulgavit, eique laudem arguti scripti omnem contulit, cujus ille ne paginam quidem (nisi quod sales quosdam atque jocos admiscuerat) integram conscripserat. Et hoc solus ego nunc superstitum conscius assevero ; tres enim soli hujus rei fueramus conscii. » Nancel., l c., p. 41, 42. Hic autem erat titulus libelli a Turnebo adversus Ramum editi : Ad. Turnebi Disputatio ad librum Ciceronis de fato, adversus quemdam qui non solum logicus esse, verum etiam dialecticus haberi vult. Lutetiæ, apud Mich. Vascosanum, 1556, in-4°, fol. 52.

— * Vid. infra Rami et Talæi Collectan., etc.

24. * M. T. Ciceronis de optimo genere oratorum præfatio in contrarias Æschinis et Demosthenis orationes, P. Rami, regii eloquentiæ et philosophiæ professoris, prælectionibus illustrata : ad Carolum Lotharingum cardinalem. Parisiis, apud A. Wech., 1557, in-4°, fol. 20 (cum privilegio, dato Lutetiæ, id. sept. 1556).

— * Vid. infra Prælect. in Cicer. orat et scripta nonnulla.

25. P. Rami, regii eloquentiæ et philosophiæ professoris, Ciceronianus, ad Carolum Lotharingum cardinalem. Parisiis, apud Andream Wechelum, anno salutis 1557, cum privilegio regis (Lutetiæ Paris., calend. decemb. 1556), in-8°, pp. 254.

— It. Basileæ, 1557, in-8° (Niceron, num. 16).

— It. Basileæ, ap Pernam, 1573, in-8°, pp. 256.

— * It. Basileæ, per Petrum Pernam, 1573, in-8°, pp. 263. (Huic editioni scripta nonnulla præposita sunt, nempe : Duplex J. Th. Freigii præfatio; duplex ipsius Rami præfatio; duæ ejusdem epistolæ, quarum posterior data fuerat Lutetiæ, 16 mensis augusti 1572; etc.)

— * Petri Rami, regii eloq. et phil. professoris, Ciceronianus et Brutinæ quæstiones. Basileæ, per P. Pernam, 1576, in 8° (p. 1-263).

— * Ciceronianus, cum grammatica, rhetorica, dialectica. Francof. et Basileæ, 1577, in-8°.

— * Id. Francof. 1580, in-8° (In Catal. Bibl. quæ dicitur : *De l'Arsenal*, num. 1203 bis).

— * Petrus Ramus de imitatione, ex Ciceroniano, in volumine cui titulus est : Desid. Erasmi Roterod. Dialogus cui titulus Ciceronianus..... Cui honorarii arbitri adjuncti Petr. Ramus, etc. De imitatione. Neapoli Nemetum, ap. H. Starckium, ann. 1517 (*sic*), p. 170-197. Vid. in Biblioth. Mazar., 20443, in-8°.

— * Ciceronianus. Francof, ap. Joan. Rosam, 1619, in-8°.

26. Marci Tullii Ciceronis familiarum epistolarum libri XVI, cum annotationibus, scholiis atque observationibus doctissimorum amplius quatuor et viginti virorum... (quibus hac postrema editione accesserunt Vitus Amerpachius, Andreas Alciatus,... et *Petrus Ramus*), etc. Parisiis, ex offic. Ambrosii a Porta, 1557, in-fol.

27. P. Rami, regii eloquentiæ et philosophiæ professoris, Oratio de legatione. Parisiis, apud Andream Wechelum. Anno salutis 1557, in-8°, fol. 27.

— * Ead. Ibid., 1557, in-8°, fol. 15.

— Harangue de Pierre de la Ramée touchant ce qu'ont faict les députez de l'Université de Paris envers le Roy.

mise de latin en françois. A Paris, chez André Wéchel, 1557. Avec privilége du roy (donné à Reims l'onzième jour de juing 1557), in-8°, fol. 32.

— It. 1568, in-8° (Niceron, num 18).

— * Vid. Scholas in lib. artes, et Collect. præf., orat., etc.

28. P. Rami, regii eloquentiæ et philosophiæ professoris, liber de moribus veterum Gallorum, ad Carolum Lotharingum cardinalem. Parisiis, 1559, in-8°, fol. 74.

— Id. Paris., 1562, in-8°, pp. 149, apud A. Wechelum. Cum privil. regis.

— Id. Cum præfatione J. Th. Freigii, J. U. D. Basileæ, per Sebast. Henricpetri (absque anni indicatione), in-8°, pp. 143 (an. 1574).

— Id., Francof., 1584, in-8°.

— Vid. hujus catalogi seriem IV.

29. P. Rami, regii eloquentiæ et philosophiæ professoris, liber de Cæsaris militia, ad Carolum Lotharingum cardinalem. Parisiis, ap. A. Wechelum, anno salutis, 1559, cum privilegio regis; in-8°, fol. 115.

— Id. Cum præfatione J. Th. Freigii, J. U. D. Basileæ, 1574, in-8°, pp. 224.

— * Id. Basileæ, ap. Sebast. Henricpetr., 1575, in-8° (In Catal. Bibl. reg. Paris).

— Id. Francofurti, ap. hær. A. Wecheli, 1584, pp. 222.

— * Vid. Grævii Thesaur. Antiquit. Romanarum, 1699, in-fol., t. X, p. 1532.

— Vid. hujus catal. quartam seriem.

30. * P. Rami, regii eloquentiæ et philosophiæ professoris, Grammaticæ libri quatuor. Ad Carolum Lotharingum cardinalem. Parisiis, apud A. Wechel., 1559, cum privilegio regis (Lutet., 3 id. jun. 1557), in-8°, pp. 161 (Præfatio Rami Lutet. data est 3 id. maii 1559). — Hanc grammat. doctiss. Goujet (Bibl. fr., l. c.) anno 1557 primum editam fuisse asserit, sed immerito, ut mihi quidem videtur.

— Grammaticæ latinæ libri IV. Avenione, 1559, in-8°.

— * P. Rami Grammaticæ libri quatuor, ad Carolum Lotharingum cardinalem. Editio tertia. Paris., ap. A. Wechelum, 1560, in-8°, pp. 167.

— P. Rami Grammatica. Parisiis, ap. A. Wechelum, 1564, in-8°, fol. 63 (quat. libris).

— * Petri Rami Veromandui, philosophiæ et eloquentiæ regii professoris celeberrimi, Grammatica, aliquot in locis aucta et emendata. Francofurti, apud Andream Wechelum, 1578, in-8°, IV libris, pp. 120.

— * Petri Rami, professoris regii, Grammatica, ab eo demum recognita, et variis ipsius scholis ac prælectionibus breviter explicata. Editio postrema, a superioribus longe diversa. Francofurti, apud Andream Wechelum, 1580, in-8°, II libris, pp. 131 (sequuntur notæ nonnullæ, 5 p.).

— * Eadem. Francofurdi (sic), apud hæredes A. Wecheli, 1590, in-8° (duob. lib.), pp. 131.

— * Petri Rami Veromandui, philos. et eloq. regii prof. celeberrimi, Grammatica, ex postrema editione aliquot in locis aucta et emendata. Francofurti, apud A. Wecheli hæred., 1595, in-8°, pp. 118 (cum notis aliquot).

— * Ead. Hanoviæ, 1599, in-12; et Magdeburgi, 1604, in-12 (In Biblioth. classica, etc., p. 1378, i. e. 1390).

31. * Rudimenta Grammaticæ (absque auctoris nomine). Parisiis, ap. A. Wechelum, 1559. Cum privil. regis (dato Lutetiæ, 3 id. jun. 1557), in-8°, pp. 45, trib. libellis.

— * P. Rami Rudimenta grammaticæ latinæ. Paris., ap. A. Wechelum, 1560, cum priv. reg., in-8°, pp. 45, trib. libris.

— * It. Paris, ap. A. Wechel., 1565, in-8° (In Catal. Bibl. reg. Paris.).

— * Rudimenta grammaticæ, ex P. Rami postrema grammatica breviter collecta. Editio postrema, a superioribus longe diversa. Francofurti, apud Andream Wechelum, 1580, in-8°, pp. 48, duob. libellis. Versa pagina, occurrit Nic. Bergeronii præfatio brevis, qua Rami opera commendat, hoc videlicet opusculum eadem commendatione complexus.

— * Petri Rami, philos. et eloq. profess. celeberrimi, Rudimenta grammaticæ latinæ, ex postrema editione aliquot in locis emendata. Francofurti, apud And. Wechelum, 1580 (in-8°, pp. 46, quat. libr., ad quæst. et responsiones perbreves redactis).

— * Rudimenta grammaticæ, ex P. Rami, prof. regii, postrema grammatica breviter collecta. Editio postrema, etc. Francofurdi, ap. hæred. A. Wecheli, 1590 (in-8°, pp. 48, duob. lib.).

— * P. Rami Verom., etc., Rudimenta grammaticæ latinæ. Francof., ap. hær. A. Wecheli, 1595, in-8°, pp. 46.

32. * P. Rami Scholæ grammaticæ. Parisiis, apud Andream Wechelum, 1559. Cum privilegio regis, in-8°, pp. 342.

— P. Rami libri duo de veris sonis literarum et syllabarum, e scholis grammaticis primi, ab authore recogniti et locupletati. Parisiis, ap. A. Wechelum, 1564. Cum privil. regis, in-8°, fol. 53.

— Vid. Scholas in liberales artes.

33. Grammatica græca, quatenus a latina differt. Parisiis, 1560, in-8°, pp. 168.

— * P. Rami Grammatica græca quatenus a latina differt. Parisiis, apud Andream Wechelum, 1562. Cum privilegio regis et Præfat. Rami (7 id. jul. 1560), in-8°, pp. 168 (absque librorum et capitum distinctione).

— * P. Rami liber de syntaxi græca, præcipue quatenus a latina differt. Paris., ap. A. Wechelum, 1562. Cum privilegio regis (3 id. jun. 1557), in-8°, pp. 48.

— * Petri Rami, professoris regii, Grammatica græca, præcipue quatenus a latina differt, in libros quatuor digesta, ante obitum auctoris de novo compilata, aucta et elucidata. Francofurti, apud A. Wechelum, 1577, in-8°, pp. 422.

— * It. ante obit. auctoris de novo compil., aucta et elucid., nunc vero diligenti recognitione plurimis in locis emendata, notisque insuper illustrata. Francof., ap. A. Wechel., 1581, in-8°, pp. 432.

— * It. Francof., ap. hæredes A. Wecheli, 1586, in-8°, pp. 432.

— It. Parisiis, 1605, in-8° (Niceron, n. 21).

34. * Rudimenta grammaticæ græcæ (absque auctoris nomine). Parisiis, apud Andream Wechelum, 1560, in-8°, fol. 26.

— * It. Paris., ap. A. Wechel., 1565 (In Catal. Bibl. reg. Paris.)

35. * Gramere. A Paris, de l'imprimerie d'Andre Wechel, 1562, pp. 126. (Hæc prima grammaticæ gallicæ editio inter belli civilis fugas et timores apparuit : quamobrem auctoris nomine caret).

— Grammaire de Pierre de la Ramée, lecteur du roy en l'Université de Paris. Ibid., 1567, in-8°. — « En deux colonnes de diff. orthogr. et écriture, etc. » La Croix du Maine, l. c. Cf. Niceron, num. 31.

— Grammaire de P. de la Ramée, lecteur du roy en l'Université de Paris. A la royne, mère du roy. A Paris, de l'impr. d'A. Wechel, 1572, in-8°, pp 211. Cum præfatione Rami et Stephani Jodelle versiculis, quos hic legendos proponimus :

AUX FRANÇOYS.

Les vieux Gaulloys avoient tous arts en leur langage,
Mais Dis, l'un de leurs Dieus (qui riche tient couverts
Sous les obscures nuits mille trésors divers),
Aux chams Elysiens retint des arts l'usage.
Il falloit donq' avoir, pour là bas pénétrer,
Les rappeler et faire en l'air Gaullois rentrer,
Ce Rameau d'or par eus redorant tout nostre âge.

— * Grammaire de Pierre de la Ramée, lecteur du roy en l'Université de Paris. Reveue et enrichie en plusieurs endroits. A la royne mère du roy. A Paris, chez Denys Du Val, 1587, in-8°, pp. 223.

— * Ead. Francof., ap A. Wechel., 1590, in-8°.

— * Grammatica latino-francica, a Petro Ramo francice scripta, latina vero facta per Pantaleonem Theveninum. Francof., Joan. Wechel., 1583 et 1593, in-8°.

— Cum Ramus, Lud. Meigreti exemplum secutus, gallicam grammaticam ea de sententia instituisset, ut scriptura cum pronuntiatione unice congrueret, Steph. Pasquier, philosophi nostri amicus, eum erroris per argumentum ad hominem convicit, in longa eademque gravissima epistola (Lettres d'Est. Pasquier, l. III, ep. 4 : A monsieur Ramus, professeur du roy en la philosophie et mathématiques. Sçavoir si l'orthographe françoise se doit accorder avec le

parler) : « Ceux qui mettent la main à la plume prennent leur origine de divers pays de la France, et est malaisé qu'en nostre prononciation il ne demeure tousiours en nous ie ne sçay quoy du ramage de nostre pays. Ie le voy par effet en vous, auquel, quelque longue demeure qu'ayez faite dans la ville de Paris, ie recognois de iour à autre plusieurs traits de vostre picard ; tout ainsi que Pollion recognoissoit en Tite-Live ie ne sçay quoy de son padoüan... Ie ne dy pas que s'il se trouve quelques choses aigres, l'on n'y puisse apporter quelque douceur et attrempance, mais de bouleverser en tout et partout sens dessus dessous nostre orthographe, c'est à mon jugement gaster tout. » Non tamen defuerunt viri docti, qui Rami grammaticam amplecterentur, ut testis est ipse Pasquier (ibid.). Cf. Varillas, Histoire de Charles IX, l. IX. Vid. edit. quæ ann. 1587 data est, p. 2 : L'imprimeur au lecteur : « Amy lecteur, voyant qu'il ne se recouvroit aucun exemplaire de ceste Grammaire françoise, etc. »

36. Procemium reformandæ Parisiensis Academiæ, ad Carolum IX regem. Parisiis, 1562, in-8°.

— Advertissements sur la réformation de l'Université de Paris, au Roy, 1562, in-8°, pp. 100, absque loci et auctoris indicatione; hoc tamen legitur ad calcem : De l'imprimerie d'André Wéchel. Huic editioni præfixa est vernaculo quoque sermone, brevis Rami epistola (p. 2) : A la Royne mère.

— Vid. Schol. in liber. artes, et Collect. præf, orat., etc.

— * Vid. Archives curieuses de l'Hist. de France, L. Cimber et F. Danjou, prim. ser., tom. V, p. 115-163 : Advertissements sur la réformation de l'Université de Paris, au roy.

37. P. Rami, regii professoris, Oratio de professione liberalium artium, habita Lutetiæ in schola Prælea 8 calend. septemb. 1563. Parisiis, apud Andr. Wechelum, 1563, in-8°, fol. 20.

— Vid. Schol. in liber. artes, et Collect præf., orat., etc.

38. P. Rami, regii professoris, Scholarum physicarum libri

octo in totidem acroamaticos libros Aristotelis. Parisiis, 1565, in-8°, fol. 171, apud A. Wechelum.

— Vid. Schol. in lib. artes, 1569 et 1578.

— Scholarum physicarum libri VIII, etc. Francofurti, 1583, in-8°.

— * Iid. Paris., 1606, in-8° (In Catal. Bibl. reg. Paris.).

39. * P. Rami, regii professoris, Scholarum metaphysicarum libri quatuordecim, in totidem metaphysicos libros Aristotelis. Parisiis, apud Andream Wechelum, 1566 (in-8°, fol. 137), cum privilegio regis.

— Vid. Scholas in liberales artes, 1569.

— Iid. Recens emendati per J. Piscatorem Argentinensem, cum indice copioso. Francofurti, apud hær. A. Wecheli, 1583, in-8°, pp. 183.

— * Iid. Paris., 1610, in-8° (In Cat. Bibl. reg. Paris.).

— * Iid. Emend. per J. Piscator. Francof., typ. Wechel., 1610, in-8°.

40. P. Rami Actiones duæ habitæ in senatu, pro regia mathematicæ professionis cathedra. Parisiis, apud A. Wechelum, 1566, in 8°, pp. 40.

— * Eædem Editio secunda. Ibid., 1566, cum privilegio regis, in-8°, pp 40.

— Vid Schol. in liber artes, et Collect. præf., orat., etc.

41. * Préface sur le Proëme des mathématiques. Paris., 1566, A. Wechel., in-8° (In Biblioth. exotica, etc. Francof., Balth. Ostern., 1625, p. 154).

— Lettres patentes du roy touchant l'institution de ses lecteurs en l'Université de Paris, avec la préface de Pierre de la Ramée sur le Proëme des mathématiques, à la royne mère du roy. Paris 1567, in-8°, pp 32.

— * Vid apud D. Felibian, Hist. de la ville de Paris, t. III (Preuves), p. 700 sqq. : Extrait d'une préface de Pierre de la Ramée sur le Proëme des mathématiques.

42. P. Rami, professoris regii, Prooemium mathematicum. Ad Catharinam Medicæam reginam, matrem regis. Parisiis, apud Andr. Wechelum, 1567, cum privilegio regis, in-8°, pp. 501. — Hoc opus, accuratiori quidem stylo conscriptum, Nancelius meritis ornat laudibus (p. 29).

— Vid. Schol. mathemat., 1569, etc., quarum tres primi libri sunt Procemium mathematicum.

43. La Remonstrance de Pierre de la Ramée, faite au conseil privé, en la chambre du roy au Louvre, le 10 de janvier 1567, touchant la profession royalle en mathématique. A Paris, de l'imprimerie d'André Wechel, 1567, in-8°, pp. 51.

— Vid. D. Felib., l. c., p. 695 sqq. : Extrait de la Remonstrance faite par Pierre de la Ramée, etc.

— Hanc orationem ante Procem. math. posuit Niceron, sed immerito, cum in ea Ramus dixerit : « Ainsi que j'ay déclaré plus amplement en *trois livres* que j'ay présentés dernièrement au roy et à la royne, etc. »

44. — * Prælectiones in Aud. Talæi Rhetoricam. — Talæi Rhetorica, ann. 1544 primum typis excusa, ann. 1562 postremo edita fuerat, Parisiis, ap. A. Wechelum, in-8° (pp. 186). Post obitum Talæi, ejus Rhetoricam Ramus, prælectionibus illustratam typis mandari haud semel curavit. Inter quas editiones hanc notare licet :

— * Audomari Talæi Rhetorica, P. Rami prælectionibus illustrata. Editio postrema. Parisiis, apud A. Wechelum, 1567, in-8°, pp. 144. *Andreas Wechelus* (id est Ramus) *Lectori S.* : « Habes Aud. Talæi de rhetorica libros duos.... Aud. Talæi rhetoricam, P. Rami prælect. exornatam, exhibemus. » Vid. supra, p. 51, not (5).

— Commune illud Talæi Ramique opus a separato Talæi opere sedulo secernas oportet, quod sæpius inscribitur : A. Talæi Rhet., e P. Rami prælectionibus observata, etc. (ex. gr. : Paris, ap. Lud. Grandinum, 1577, in-8°; — per Claud. Minoem Divion, Francof., ap. A. Wechelum, 1579, in-8°, pp. 253; — Scholiis J. Piscatoris pass. illustr., Hanov., typis Wechelianis, ap. hæredes J. Aubrii, 1611, in-8°, pp. 83; etc., etc.). Sic enim Talæus ipse in præfat. Rhetoricæ, ann 1544 : « Ejus (Rami), inquit, prælectionibus et observationibus adjutus, ad elocutionem et actionem... Rhetoricam revocavi. »

45. — * P. Rami Geometriæ libri septem et viginti. Basileæ,

per Euseb. Episcopium et Nicolai fratris hæredes, 1569, in-4°, pp. 190 (simul cum duobus arithmeticæ libris).

— Geometria. Parisiis, 1577, in-16 (Niceron, l. c, n. 40).

— * It. simul cum Arithmetica. Basil., per Euseb. Episcopium et Nicolai fratris hæredes, 1580, in-4° (pp. 192. in poster. voluminis parte).

— It. cum Lazari Schoneri et Joann. Thomæ Freigii explicationibus. Hanoveræ, 1596, in-8°.

— * Petri Rami Arithmeticæ libri duo: Geometriæ septem et viginti, a Lazaro Schonero recogniti et aucti. Lemgoviæ, 1599, in-4° (Geometria in posteriori voluminis parte legitur, p. 1-178).

— * Petri Rami Geometria. Hanoviæ, ap. Guil. Antonium, 1604, in-12.

46 P. Rami Scholæ in liberales artes, quarum elenchus est proxima pagina (nempe: Grammaticæ libris XX, Rhetoricæ lib. XX, Dialecticæ lib XX, Physicæ lib. VIII, Metaphysicæ lib. XIV, Mathematicæ separato opere). Basileæ, per Euseb. Episcopium, 1569, mense augusto, in-fol, col. 1166. Quibus accedunt: 1° P. Rami Prooemium reformandæ Paris. Acad., ad Carolum regem (1562); 2° P. Rami De sua professione oratio (1563); 3° P. Rami Actiones duæ habitæ in Senatu pro regia mathem. professionis cathedra (1566); 4° P. Rami Oratio de legatione (1557); 5° P. Rami Oratio de legat. secunda, dicta in comitio Mathurin., prid id. april. 1561.

— * P. Rami Scholæ in liberales artes, scilicet grammaticam, rhetoricam, dialecticam, physicam, metaphysicam. Basileæ, 1578, in-fol, col 1182. (Quibus eæd. accedunt Rami orat., quæ in super. edit. occurrunt).

— P. Rami Scholarum dialect., seu Animadv. in Organum Aristot., libri XX. Recens emendati per Joan. Piscatorem, Argentinensem. Francof, apud A. Wechelum, 1581, in-8°, pp. 197 (cum indice).

—* P. Rami Scholæ in tres primas liberales artes, videlicet: I. Grammaticæ; II. Rhetoricæ, quæ olim Quæstiones Brutinæ; III. Dialecticæ, quæ olim Animadversiones in Organum Aristotelis. Recens emendatæ per Joann. Piscatorem

Argentinensem. Francofurti, ap. And. Wechelum, 1581, in-8°, pp. 258, 166 et 597 (cum indicibus).

— * It. Francofurti, 1595, in 8°.

47. P. Rami Scholarum mathematicarum libri unus et triginta. Basileæ, per Euseb. Episcopium et Nicol. fratris hæredes, 1569, in-4°, pp. 320, cum Diplomate Caroli IX, et Præfatione Rami in tres primos libros ad Catharinam Medicæam. — Hæc versa pagina leguntur : « Argumentum scholarum mathematicarum. Tres primi libri continent Procemium mathematicum, id est exhortationem ad mathematicas artes, ad Catharinam Medicæam, reginam, matrem regis. Duo proximi disputant præcipua quædam capita Arithmeticæ. Reliqui ex ordine disserunt de quindecim libris Euclideæ στοιχειώσεως. »

— * It. Basileæ, 1578, in-4°.

— * P. Rami Scholarum math libri unus et triginta, a Lazaro Schonero recogniti et emendati. Francof., ap. A. Wecheli hæredes, 1599, in-4°, pp. 314.

— * P. Rami, philosophi celeberrimi, eloq. et mathematic. disciplinarum profess. regii, Scholarum mathematicarum libri unus et triginta, dudum quidem a Lazaro Schonero recogniti et aucti, nunc vero in postrema hac editione innumeris locis emendati et locupletati. Francofurti ad Mænum, typis et sumptibus Wechelianorum, ap. Dan. et Dav. Ambrios et Clem. Schleichium, ann. 1627, in-4° (Equidem haud compertum habeo quid sibi velint in magnifico illo titulo verba: *aucti*, *locupletati*; quinetiam vix *emendati* fuisse mihi videntur).

48. * Epistolæ quatuor ad Jacobum Schecium, Basileæ, 1569, in-4°. — Vid. Collect., etc. Cf. J. Schegkii Schorndorffensis *Hyperaspistes*, Resp. ad quat. epist. P. Rami contra se editas. Tubingæ, 1570, in-4°.

49. P. Rami Defensio pro Aristotele adversus Jac. Schecium. Lausannæ, excudebat Joannes Probus, 1571, in-4°, pp. 127. — *Typographus lectori :* « Cum eximius vir quidam Petri Rami viri clarissimi... libellum pro defensione Aristotelis ad. J. Schecium, mihi obtulisset, rogassetque (*inscio tamen*

authore) ut evulgarem,... amici petitionibus acquievi libenter. »

— It. in Collectan., etc., edit. ann. 1599.

50. P. Rami Basilea, ad senatum populumque Basiliensem. 1571, in-4°, pp. 35, absque loci indicatione : nempe Lausannæ, simul cum Defensione pro Arist. adv. J. Schecium, edita est. — *Typographus* (scilicet idem J. Probus) *lectori* : « Cum hæc P. Rami Basilea, Basileæ scripta (?), forte in nostras manus incidisset, eam maluimus *illo inscio* prælo committi, etc. »

— Vid. P. Rami Prælect. in Ciceronis octo consulares, et Collectan., etc., edit. ann. 1599.

SERIES II.

51. Petri Rami Prælectiones in Ciceronis orationes octo consulares, una cum ipsius Vita per J. Th. Freigium collecta. Basileæ, per J. Pernam, 1574, in-4° (ap. Niceron, l. c., n. 37).

— * Petri Rami Prælectiones in Ciceronis orat. octo consul., una cum ipsius Vita, per J. Th. Freig. collecta. Reliqua sequens pagina dabit. Basileæ, per Petrum Pernam, 1575, in-4°, pp. 60 et 520. — Hæc sunt in eo volumine contenta : 1. *Petri Rami Vita, per J. Th. Freigium* (p. 5-46); 2. Petri Rami Basilea, ad sen. populumque Basil. (p. 45-60); tum nova paginarum indicatione instituta. : 3. Orat. de stud. phil. et eloq. conjung., 1546 (p. 1-5); 4. Oratio habita ann. 1551, init. prof. regiæ (p. 6-18); 5. Prælectiones in IV Catilinarias (p. 19-122); 6. Prælect. in tres Agrarias (p. 123-253); 7. Prælect. in Orationem pro Rabirio (p. 254-280); 8. Prælect. in Cicer. de fato (p. 281-330); 9. Prælect. in Cicer. de opt. gen. orat. (p. 331-358); 10. Platonis epistolæ latinæ factæ (p. 359-444); 11. Brutinæ quæstiones (p. 445-520).

— It. 1580. in-4°, pp. 60 et 606, cum indice. — Accedunt in hac editione : 1. Prælect. in lib. I de Legibus; 2. Prœl. in Somnium Scipionis; 3. Distinct. rhetor. in Quintilianum. Brutinæ autem quæstiones absunt.

52. Petri Rami Veromandui, philosophiæ et eloquentiæ pro-

fessoris celeberrimi, Commentariorum de Religione Christiana libri quatuor, nunquam antea editi. Ejusdem Vita, a Theophilo Banosio descripta. Francofurti, apud Andream Wechelum, 1576, in-8°. — « Hæc vero Commentaria quatuor de Relig. Christ., veluti ab incendio erepta nunc promulgantur, idque cujusdam Galli opera, qui αὐτόγραφον virgula divina ad nos usque perduxit, non minori bonorum lætitia quam fructu. » Banos. in P. Rami Vita, p. 36, 37 (Quam Rami vitam Banosius Illustri et gener. dom., Do. Philippo Sidneio, proregis Hiberniæ filio, dicavit, cal januar. 1576).

— It. Francofurti, 1577, in-8°, pp. 348.

— * It 1583, in-8° (In Catal. Bibl. reg. Paris.).

53. P. Rami Testamentum cum senatusconsulto et promulgatione professionis ab ipso institutæ. Parisiis, 1576 (7 id. jul), in-8°, pp. 13.

— * It. in Petri Rami Vita per Theoph Banosium, quæ præfixa est Commentar. de Relig. Christ. Francofurti, 1576, in-8° (p. 19-24).

— * It. in Petri Rami Veromandui Vita, a Nic. Nancelio Trach. Noviod. Parisiis, 1599, in-8° (p. 80-85).

— It. in Petri Rami et Aud. Talæi Collectan. præf., etc.

— * Testamentum Petri Rami cum promulgatione professionis mathematicæ a testatore ipso institutæ. Parisiis, apud Joan. Bessin, 1625, in-8°, pp. 12.

— * It. apud Goujet, Mém. hist. et litt. sur le Collége royal de France, sub fin. partis primæ. — Ant. Teissier, Él. des h. sav., art Ramus: « Le Testament de Ramus est gravé en cuivre au Collége de Cambray ou des Trois-Évêques, dans la salle en laquelle lisent les professeurs royaux, sur la porte de la chapelle. »

54. * P. Rami Professio regia, hoc est septem artes liberales in regia cathedra per ipsum apodictico docendi genere propositæ, et per J. Th. Freigium in tabulas perpetuas, ceu στρώματα quædam, relatæ : ad publicum omnium Rameæ philosophiæ studiosorum usum editæ. Harum elenchus est proxima pagina. Basileæ, excud. Sebast. Henricpetri, 1576, mense martio; in-fol, pp. 236. — Hoc volumine continentur: Ciceronianus, Grammat. lat.,

græca, gallica, Rhetorica (Aud. Talæi), Dialect., Phys., Ethica (liber de mor. Gall., etc.), Geometria (manu scripta, p. 141-162).

55. Petri Rami professoris regii et Audomari Talæi Collectaneæ præfationes, epistolæ, orationes, cum indice totius operis. Parisiis, apud Dionysium Vallensem, 1577, cum privilegio regis (dat. die 19 octobr. 1576), in-8°, pp. 612. Hoc volumine continentur: 1. Grammaticæ præfationes P. Rami quinque; Rhetoricæ præfationes ejusdem Rami et Aud. Talæi sex; Dialect. præfationes P. Rami octo, quarum octava est Talæi; Physicæ præfat. Rami tres; Moralis philosophiæ præfat. tres; Oratoriæ et philosophicæ præfat. tredecim, inter quas Aud. Talæi *Academia*; — 2. Epistolæ XV, inter quas notandæ sunt: 1ª et 2ª, ad senat. Bononiensem et ad Ang. Papium; tum quatuor epist. ad Jac. Schecium; duodecima, T. B. V. (Theod. Bezæ); 14ª et 15ª Carolo Lotharingo cardinali; — 3. Orationes habitæ ann. 1544, 1545, 1546; pro philosophica disciplina, 1551; initio professionis suæ, 1551; de legat. prima et secunda, 1557 et 1561; Procem. reform. Acad. Paris.; de sua profess., 1563; duæ actiones mathematicæ; Aud Talæi Admonitio ad Turnebum.

— It. Adjunctæ sunt P. Rami vita (per J. Th. Freigium), cum testamento; ejusdem Basilea; pro Aristotele adversus Jac. Scheckium comparatio; Johannis Pœnæ et Friderici Reisneri orationes elegantissimæ, etc. Cum indice totius operis. Marpurgi, typis Pauli Egenolphi, 1599, in-8°, pp. 625.

56. * M. T. Ciceronis pro M. Cl. Marcello oratio, P. Rami commentariis illustrata, et ante annum 1582 Gul. Rodingi cura typis excusa, mihi nunquam occurrit.

57. * P. Rami in Ciceronis orationes et scripta nonnulla, omnes quæ hactenus haberi potuerunt Prælectiones. Recens in unum volumen ordine congestæ et accurate emendatæ, adjecto indice copiosiss. Francof., ap. hæredes A. Wecheli, 1582, in-8°, pp. 709. — Hunc catalogum versa pagina exhibet: Orationes et ceteri Ciceronis libris Rami commentariis illustrati: 1. Octo consulares (1 pro Rabirio,

13

3 Agrariæ, 4 Catilinariæ); — 2 Oratio pro M. Cl. Marcello; — 3. Epist. nona ad Lentulum; — 4. Liber de fato; — 5. Somn. Scipionis; — 6. Lib. I de legibus; — 7. De opt genere orat.

58. Algebra. — Petri Rami Arithm. libri duo, et Algebræ totidem, a Lazaro Schonero emend. et explicati, etc. Francof., apud hær. A. Wecheli, 1586, in-8°, pp. 406 (Algebra autem p. 322-364 continetur).

— * P. Rami Arithm. libri duo: Geom. sept. et vig., etc. Lemgoviæ, 1599, in-4°. — In priori voluminis parte (p 190-216), *P. Rami Algebra duobus libris* explicatur.

59. Ἀριστοτέλους πολιτικῶν τὰ εὑρισκόμενα. Aristotelis Politica, a Petro Ramo regio professore latina facta et dialecticis rerum summis breviter exposita et illustrata. Cum indice rerum et verborum memorabilium locupletiss. Francof., typis Wechelianis, ap. Cl. Marnium et hær. J. Aubrii, 1601, in-8°, pp. 537.

SERIES III.

P. Rami opera, quæ desiderantur.

1. Commentarii in decem Ciceronis orationes. — Teste Nancelio (p. 20, 21), legerat Ramus orationes pro P. Quinctio, pro S. Roscio Amerino, pro Q. Roscio Comœdo, et Verrinas ordine septem. Ejus autem commentationes, inquit Nancelius, « nescio qua cunctatione et mora, suppressæ sunt, necdum lucem viderunt, paratæ jamdudum lucem aspicere (non tamen velut ab ipsomet auctore evulgandæ), mea, uti dixi, manu transcriptæ in decem istas Ciceronis orat., breves et acutæ.... Quæ nunc ubi sint, et a quo subreptæ, nescio, etc., » l. c. Cf. Ant. Teissier, El. des h. sav., in catal. op. Rami. Sic autem J. Obsopæus in Præfatione ad P. Rami Prælectiones, 1582 : « Quidquid Rami commentariorum in Ciceroniana scripta haberi potuit, huc congestum fuit.... An enim ulla spes de ceteris Rami commentariis recuperandis, eque faucibus avarorum aut potius invidorum eripiendis supersit, valde dubitatur. » Cf. Freig. in Rami vita, p. 5.

2. Xenophontea quædam. — « Ramus cum græcam linguam disceret, vertit Xenophontea quædam, ut Junius, cum Hebræa disceret, Hebræam grammaticam componit.» Scaligeriana (ed. 1666), p. 288.

3. Platonis et Aristotelis comparatio. — Nancel., l. c., p. 32. « Utriusque (Platonis et Aristotelis) comparationem perquam lepidam collegit, peripateticam doctrinam cum academica concilians : quod tamen opus perelegans plagiarius aliquis vivo illi surripuit. » Idem Nancelius, dum eos Rami libros recenset quos gravius et subtilius conscriptos esse asserit, rursus memorat « Institutam illam Platonis cum Aristotele conciliationem, » p. 44. Vid. infra Rami opera de quibus non satis constat, num. 2.

4. Liber de comitiis Romanorum : quem, direpta Rami bibliotheca, periisse testatur Theophilus Banosius, l. c., p. 36.

5. Libri complures, ethici, physici, optici, musici, astrologici. — Banosius, ibid. : « Perierunt etiam multa Rami egregia doctrinæ monumenta,... liber de comitiis Romanorum et pleraque alia, ethica, physica, optica, geometrica, musica, astrologica, quæ certis quibusdam de causis in lucem edere noluerat, nonnulla vero quæ paulo ante mortem amico cuidam tradiderat excudenda, brevi, ut supra admonui, excudentur. »

6. Mathematicorum græcorum corpus — Cum Ramus eo mathematum studio flagraret quod diximus, rarissima quæque mathematicorum græcorum opera magno pretio collecta, manu exscribi tum per alios nonnullos, tum in primis per Nic. Nancelium curaverat. « Eaque volumina (manu scripta)) in diversos codices redacta, velut thesaurum custodiebat : ex illis præstantissimos quosque tum per Fr. Reisnerum, tum per J. Pœnam, tum per me latinos fieri curavit. Quotquot autem vivo illo lucem non viderunt, hi quidem omnes et libri et auctores expilati ac furto ablati disperierunt. » Nancel., l. c., p. 30. Inter quos Nancelius fuisse memorat ab ipso latine conversos, « Theodosium, Autolychum, Aristarchum, Heronem, Proclum in sex pri-

mos Euclidis libros, et sane nonnullos alios. » Quos Nancelius Ramo reliquerat, « in Germaniam transmittendos, ut tum ex nostris, tum ex aliis *unum corpus* mathematicorum conflaretur atque cuderetur, cum ea omnia latine exstarent nusquam, sed ne græce quidem, præter Proclum, cetera. » Id., ibid.

7. Epistolæ quamplurimæ ad diversos: — Nempè ad G. Joach. Rheticum de astrologia; ad Acontium et Dium, Britannos; ad Gesnerum, Camerarium, Hieronymum Wolfium, Augustanæ bibl. præfectum; ad Commandinum Fernesiæ bibl. præfectum; ad Angelum Papium Bononiensem; ad Arnaldum Ferrerium, curiæ Paris. præsidem, et reg. ap. Venetos legatum : « Ad hos omnes de rebus mathematicis perscripsi, » inquit ipse Ramus in Act. sec. math. Cf. Freig. in Vita Rami, p. 30. — Ad alios sane permultos scripserat Ramus, quos enumerare longius foret, et forsan inutile, quum eas epistolas, tam longo post Rami obitum tempore, recuperandi spes nulla superesse videatur. —De quindecim tantum epistolis pauca dicam, quas doctissimus vir Christian-Bartholmèss, secundum authentica quædam exemplaria exscriptas, mihi pro sua humanitate sponte et libenter obtulit : quas quidem quum in lucem edere non liceat, obiter tamen dicam ad quem et qua de re unaquæque scripta fuerit.

Prima, Lutetiæ data, 7 cal. jan. 1551, ad Joan. Hervagium, typographum Basiliensem, Rami olim et Aud. Talæi discipulum, nihil notabile continet, nisi quod Ramus de Platone latine vertendo ad Hieronymum Wolfium se scripsisse affirmet.

In secunda (Heidelbergæ, 3 cal. nov. 1569) Theod. Zuingerum monet se, Argentinam proficisci cogitantem, ab electore ad publice profitendum retentum fuisse.

Tertia (Ibid., 10 cal. febr. 1570; ad eumd.) de Heidelbergensi Rami prefessione multa eademque maxime notanda declarat.

Quarta (ad eumd. tertia, Francof., 10 cal. apr. 1570) nos docet Ramum « a Joanne, rege Pannoniæ, annuo quingen-

torum talerorum stipendio invitatum fuisse, literasque ejusdem fere generis e Polonia et Vestphalia accepisse, etc. »

Quintam (11 jun. 1570, ad eumd.) Genevæ Ramus scripsit, cum de variis rebus, tum de publica primæ Catilinariæ lectione, de Defensione Aristotelis adversus Schecium, etc.

Sexta (Genev., 4 non. jul. 1570, ad eumd.) nihil nisi gratulationem duplicem continet, de Bern. Brando Basiliensis civitatis tribuno, ac de Fel. Platero Basil. academiæ rectoratum adepto.

Ex septima (12 cal. aug. 1570, ad eumd.) colligi potest Freigium de quadam academia (administranda?) Ramo scripsisse; tum de rebus Gallicis et de legato Bellævreo nonnulla Ramus agit.

In oct. (Lausan., 5 cal. sept. 1570, ad eumd.) duo præsertim animadverti, primum quod Ramus « *hebdomade ista* Lugdunum, deinde Lutetiam proficisci » statuerit; deinde, quod logicam ἀκρόασιν Lausannæ tunc temporis magna celebritate et frequentia habuerit.

Nonam (Lutet., mart. 1571, ad eumd.) de suo in Galliam reditu, de sua regia professione et de Prælleo gymnasio perlongam scripsit Ramus: ex qua minime dubito, ad nostræ narrationis elucidationem vel potius emendationem, pauca quædam seligere: « Lupi duo famelici et rabidi occupaverant alter gymn. Præll., alter professionem eloq. et phil... Regis nomine diploma publicatum, quo generatim omnibus Evangelium profitentibus interdiceretur publica privataque cujuscumque artis ac scientiæ profess. et institut... » — « Fracti tamen animo aut desperati nunquam fuimus... » — « Tandem proposui, si vox tam formidabilis esset quam ab advers fingeretur, manum ab ista accusat. innocentem superesse: itaque rex nobis imperaret artium liberalium reliquam conformationem, etc..... Hæc oratio regi et reginæ placuit Itaque ad emeritæ militiæ vel honorem vel consolationem, stipendium nobis conduplicatum est Potestas etiam facta nominandi gymnasiarchi quem delegero, ordinariis interea fructibus reservatis. Denique perspicis..... otium nobis cum dignitate comparatum esse, etc. » Vid. supra, p. 91.

Decima epistola, ad Theod. Zuingerum nona, Lutetiæ in Prælleo data est, nonis decembr. 1571.

Undecima, ad eumd., ibid., 3 non. sept. 157. (*sic*), scripta fuit.

Duodecima (ad Th. Zuing. XI) Lutetiæ data, non. jan. 1572, nonnulla de Basiliensi religione et de Œcolampadio continet.

Tres denique supersunt epistolæ : quarum una (Lausan., 5 cal. sept. 1570) ad Samuel. Grynæum, cum de rebus mathematicis, tum de F. Reisnero scripta est. E ceteris duobus ad Joann Sturmium, prior (Heidelb., 6 non. nov. 1569) astrologicam quamdam prædictionem de ingenti terræ motu refert; in posteriori autem (Lutetiæ data, absque omni temporis indicatione) Ramus maximas Sturmio gratias agit quod « Alsatiam *Ramusculis* compleat, » et se apud reginam Navarræ, et apud admiralium Colinium negotii cujusdam pro Sturmio procuratorem futurum pollicetur.

Hæc est qnindecim epistolarum materia, quas doctissimus vir Christian-Bartholmèss in lucem edere in animo habet : unde maximam certe utilitatem rerum philosophicarum studiosi percipient.

— De deperditis Rami epistolis hæc tantum adjiciam ex Nancelio (Rami Vita, p. 44) : « Deprehendi olim., inquit, abjectum inter adversaria epistolarum latinarum volumen. Quas cum collegissem et exscribere pararem, sensit ille, et ab instituto jussit desistere, ne forte eliminarem et in publicum darem, quas indignas luce judicabat, quod pleræque juveni scriptæ forent. Mihi tamen dignæ visæ quædam, quæ legantur, circiter centum, si is qui detinet emittere in lucem animum inducat. »

— « Sunt et alia fortasse plura quæ nunc non occurrunt, cum tamen omnia pridem mea manu descripserim, de omnibus cum auctore sæpius communicarim, omnia fere quæ Rami nomine exstant, typis mandanda curarim et excudendo præfuerim correxerimque quamdiu, ut prius monui, per annos prope viginti cum Ramo contubernalis vixi mansique (ann. 1548-1562, et 1564-1568),... post Duacensem meam regiam professionem reversus in Galliam, cum Ramo liberius

philosophari et agere solitus, et jam Talæi quodam modo locum apud Ramum (sed utriusque discipulus obsequens et officiosus) sortitus, gradumque consecutus. » Nancel., ibid., p. 45.

SERIES IV.

Spuria, vel de quibus non satis constat.

1. De causis affectionum et proprietatum quarumdam singularium cum in homine, tum in brutis animalibus quibusdam. Monachii, ap. Hieron. Pyrchmayer, 1579, in-8°. (Vid. Conr. Gesneri Bibl., ed. 1583; Bibl. classic., 1625; Niceron, l. c., num. 42.) Hoc quidem opus nusquam reperire potui, et a Rami studiis satis alienum esse mihi videtur.
2. Cynosura utriusque juris, seu commentarius in regulas juris canonici et civilis, II libris. Francof., 1604, in-8°.— Vid. Niceron (l. c., num. 50). De quo opere minus etiam quam de præcedente libro constare mihi videtur, siquidem Nancelii testimonio fides aliqua datur; sic enim ille : « Legum volumina ne habebat ipse quidem (Ramus), neque ei studio, quod sciam, operam unquam dedit, nisi forte ex occasione, cum inter legendas Cicer. orat. aliquid occurreret e J. C. repetendum. Quod quidam, ut Hottomanus et Muretus, ipsi vitio verterunt, etc. » Rami Vita, p. 34.
3. Grammatica hebræa. — Ant. Teissier, l. c., grammaticam hebræam Ramo attribuit; ceterum neque locum, neque annum indicat. Equidem valde dubito an Ramus hebræam linguam didicerit, nedum hebræam grammaticam composuerit. Sed ut ipsius et Nancelii testimonium adhibeamus, Ramus in oratione de sua professione, anno 1563 habita, duas tantum grammaticas a sese conscriptas, græcam nempe et latinam memorat. Cum autem vernaculo quoque sermone grammaticum argumentum tractaverit, tres ei grammaticas attribuit Nancelius, qui sese Ramo operam dedisse testatur. « Triplici (inquit) idiomate, gallico, latino, græco, grammaticum argumentum tractavit. .. singula mea manu descripsi, typis commissa correxi, et

ut nunc leguntur, Ramo duce atque auctore, populo exhibui » (l. c., p. 37-38). Hæc Nancelius scripsit ann. 1599. Vid. tamen Bibl. classic., etc. (Francof., 1625); num. 1375 (i. e. 1387) : ubi indicantur J. Quinquarb. linguæ hebr. instit., necnon P. Rami, Parisiis, ap. Wechelum.

4. Adversaria de Platonis philosophia generatim, in dialecticam, physicam, ethicam digerenda. (Ant. Teissier, l. c.) De hoc opere nihil compertum habeo, quanquam non ignorem Ramum de Platonis philosophia nonnulla scripsisse, teste Nancel. in Rami Vita, p. 32 et p. 44. Vid. supra, p. 195, n. 3. Cf. Biblioth. Conr. Gesneri, Tiguri, 1583, in-fol.

5. Audomari Talæi opera. —Jam satis de Aud. Talæi Rhetorica diximus (Vid. supra, p. 51, not. 5; p. 188), quam ille Rami prælectionibus observatam, eodemque auctore et suasore edidit. Fuerunt autem in Germania viri quidam, alioqui non indocti, qui putaverint Talæum minime exstitisse, sed eo nomine Ramum usum fuisse, quo liberius in veteres inquireret, suamque de liberalibus artibus doctrinam in lucem ederet. Quos erroris facile convincit Menagius his verbis : « Paul Frisius remarque une chose singulière, qui est que quelques-uns ont cru qu'il n'y a jamais eu d'autre Omer Talon que Ramus lui-même déguisé sous ce nom fait à plaisir, pour se dérober à l'envie et pour louer lui-même ses propres ouvrages avec plus de profusion. Frisius n'a garde de donner dans cette imagination, que l'on fondait sur l'étymologie du nom de Talon, en le faisant venir d'un mot grec qui signifie *rameau vert* (θαλλός). Il croit que l'artifice n'aurait point réussi à Ramus dans Paris. Ajoutons que l'histoire de l'Université détruit absolument cette vision, puisqu'on y voit Omer Talon qui, en 1534, prête serment entre les mains du recteur nommé de Méry. » Anti-Bailiet, art. Omer Talon, t. II, p. 182, col. b. —Aud. Talæi opera pleraque Freigii cura edita sunt, hoc nempe titulo : Audomari Talæi, quem Petri Rami *Theseum* dicere jure possis, Opera, elegantioris methodicæ philosophiæ studiosis pernecessaria. Basileæ, ex offic.

P. Pernæ, 1575, in-4° (Rhetoricam Talæi in ea editione omissam fuisse admiror).

6. Expositio Arnaldi Ossati in Disputationem Jacobi Carpentarii de Methodo. Parisiis, apud Andream Wechelum, 1564, in-4°, fol. 19; — Francof., Jo. Wechel., 1589, in-8°. Hanc Ramo attribuit ipse Carpentarius in Responsione quæ inscribitur : Ad Expositionem Disputationis de Methodo, contra Thessalum Ossatum, Academiæ Parisiensis Methodicum, Responsio Jac. Carpentarii Claromontani Bellovaci. Parisiis, 1564 (in-4°, fol. 30). Hoc nempe *Thessali* nomine Ramum ipsum intelligit Carpentarius, ut ipse haud semel declarat : docet enim (fol. 2 v.) teste Galeno, fuisse Thessalum quemdam Methodicum, qui totam medicinam sex mensibus facile percipiendam pollicebatur : quod Carpentario congruere videtur cum Rami methodo, qui doctrinæ vias breviores facilioresque reddere in animo habuit. Goujet (Mém. hist et litt sur le Coll. roy., art. Charp.) minus apta interpretatione utitur, cum putet Carpentarium alludere ad *Arnautas*, Thessaliæ populum, ob vicinitatem nominis *Arnaldi* Ossati. Equidem a Ramo facile credam conscriptam fuisse non solum Expositionem illam priorem Ossati, sed et Additionem ad Expositionem de Methodo, Parisiis, ap. A. Wech. 1564, in-8°, fol. 8 : quæ admodum lepida Ramoque digna esse mihi videtur. Ipse tamen in Act. prima math. : « Arnaldus Ossatus, inquit, te docuit æstate superiore quid esset methodus. »

7. Opticæ libri quatuor ex voto Petri Rami novissimo per Fridericum Risnerum, ejusd. in mathemat. adjutorem, olim conscripti, nunc demum auspic. Illustriss. et Potentiss. Princ. ac Dom., Dn. Mauritii Hassiæ Landgr., etc., in lucem publicam producti. Cassellis, excud. Wilh Wesselio, 1606, in-4°. Vid. supra Testam Rami.

8. Orationes quinque. Nescio quid sibi velit iste titulus, qui in Catalogo Ant. Teisserii occurrit, nisi forte respiciat ad editionem quamdam Orationum Rami, de quibus supra diximus. Cf Conradi Gesneri Biblioth., Tiguri, 1583; Niceron (ibid), num. 12 : *Orationes in logicam.*

9. Traicté des façons et coustumes des anciens Gaulloys, traduit du latin de P. de la Ramée, par Michel de Castelnau. A Paris, chez A. Wechel, 1559, in-8°, fol 100. Hæc versio libelli De moribus vet Gall. Ramo ipsi attribuitur ab Ant. Teissier (l. c.), sed immerito, ut ex ipsius tituli explicatione patet.

— *It. Paris., ap. D. Vallensem, 1581, curante B. Dupuys.

10. Traicté de l'Art militaire, ou usance de guerre de Jules César, traduit en françois du latin de M. Pierre de la Ramée, professeur royal en éloquence et philosophie, par Maistre Pierre Poisson, sieur de la Bodinière. A Paris, 1583, in-8°, fol. 198. Hanc quoque gallicam versionem libelli De militia Cæsaris Ramo attribuit idem Ant. Teissier, l. c.

11. Discours Chrétiens. Amsterdam, 1773, in-8°. Vid. A. Barbier, Dict des anon. et pseud., num. 3937.

Ex hoc catalogo manifestum est quoties typis mandatum fuerit unumquodque Petri Rami opus. Nunquam autem in unum corpus omnes ejus libri redacti sunt, quanquam Freigius, anno 1574, si non omnia Rami scripta, at certe optima quæque edere percupiebat, ut ipse testatur in P. Rami Vita, p. 5 et p. 46 : «... Quibus (typographis) studiosi laborum Rameorum plurimum debent, ac præcipue Pernæ, qui magnam hactenus diligentiam in ejus optimis quibusque scriptis adhibuit, *majorem quoque deinceps pollicetur.* » Catalogus operum Rami declarat quanta cura idem Freigius in edendis Rami scriptis compluribus usus fuerit.

Majus aliquid Theoph. Banosius, in Rami Vita de Andrea Wechelo prædicat (p. 12 et 36) : « Scripsit.... multa alia, quibus recensendis et merito laudandis hic nequaquam immorabor, quum *omnia ipsius quæ supersunt opera,* et in iis quædam nondum excusa, Andreæ Wecheli typographi typis in lucem brevi proditura sint. » Hæc Banosius cal. jan. 1576 prænuntiabat. Andreas autem Wechelus propositum, donec inter vivos fuit, tenuit. Cum enim mortuus sit anno 1581, hæc ann. 1580 scripsit Nicolaus Bergeronus : « Cum nuper certior

factus essem opera P. Rami, ab auctore paulo ante ejus obitum recognita, et magno quorumdam studiosorum hominum labore ac industria recuperata, jamdudum hic ad editionem parari, non potui typoprapho (Wechelo) efflagitanti, pro officio procuratoris testamentarii, qualecumque hoc elogium denegare, etc. » (Præfat. ad lectorem, quæ præfixa est Rudimentis grammat., Francof., 1580, in 8°, pp. 48). Quæ quidem editio a Rudimentis grammaticæ initium capiebat, scilicet a prima liberalium artium, quarum instaurationem sibi ante oculos Ramus tota vita proposuerat. Nempe in editione operum Rami, eum rerum ordinem typographus sequebatur quem omnes Rami discipuli et ipse Ramus prædicare solebant. Sic enim idem N. Bergeronus loquitur : « ... eo rerum ordine utitur, ut encyclopædiam literarum ab antecedentibus et natura notioribus, id est grammaticis, rhetoricis, dialecticis deducat, et ad consequentes disciplinas, utpote mathematicas, physicas et ejusdem generis reliquas scientias, tanquam Thesei filo perducat. » (Ibid.). Sed mortuo Andr. Wechelo, interruptus est ille labor, quamvis nonnulla nostri philosophi opera apud ejusdem typographi hæredes sæpius typis mandata fuerint.

Ad illa magnæ editionis initia ipsius Rami sententiam adjicias necesse est, his verbis perspicue expressam : « Liberalium artium commentationem duplicem instituimus, ἀποδεικτικήν alteram, qua veritas utilitasque demonstratur, quo modo grammatica, rhetorica, logica adhuc expositæ sunt : arithmetica et geometria mox sequentur, deinde reliquæ : ἐλεγκτικήν alteram, qua contrariarum opinionum vanitas refellitur; quo de genere scholæ sunt grammaticæ, rhetoricæ, logicæ, physicæ, metaphysicæ, et jam mathematicæ. » Schol. math., l. I, init. Cf. Orat. de sua profess., 1563.

Duo igitur sunt ejusmodi editionis instituendæ principia, ut ita dicam, et elementa : 1. Liberalium artium ordo, a grammaticis ad ethica usque et politica deductus : humanas autem literas consequitur theologica commentatio a Ramo inchoata ; 2. Duplex commentationis institutio, una nempe demonstrativa, altera autem reprehensoria, qua distinctione Rami opera in duas classes distribuenda sunt, sive unaquæque

liberalium artium bipertito explicetur (quod mihi quidem valde probatur), sive post omnia demonstrativa Rami opera quæ supersunt, in unum corpus scholæ in liberales artes redigantur.

Ut vero Nancelium quoque testem adducamus, quem Rami bibliothecæ administrandæ, operibusque edendis præfuisse ipsius testimonio constat, hæc ille de operum Rami divisione docet: « Ramus vere artium liberalium magister, ut erat, dici nunc possit, qui septem artes liberales ita instituit, informavit, perpolivit. Quas quidem ita tractari a se asserebat, ut alteram partem ἐλεγκτικὴν reprehensoriam vocaret, alteram autem ἀποδεικτικὴν demonstrativam. Illius generis sunt Brutinæ quæstiones, Animadversiones in Aristotelem, Scholæ grammaticæ, rhetoricæ, logicæ, physicæ, metaphysicæ, mathematicæ, quibus quid in quaque arte improbaret, quid in primariis artium auctoribus culparet, diserte et oratorio more declaravit. Hujus autem posterioris generis apodictici, sunt omnes artes quas informavit atque instituit. Sunt autem *præterea* commentationes illæ quas nominavi, in Ciceronis orationes aliquot et in Virgilii Bucolica atque Georgica..... Exstant ejusdem Orationes multæ longe elegantissimæ, item Ciceronianus, etc. » Nancel., l. c., p. 43, 44.

Ex iis quæ hactenus dicta sunt colligi potest quo ordine potissimum Rami opera disponenda esse putem. Scilicet, quisquis illa ad ipsius auctoris sententiam in lucem edere aggressurus est, eo rerum ordine utatur necesse est, ut I. primo loco quæcumque ad Grammaticam artem spectant collocentur, demonstrativa primum, deinde reprehensoria, scilicet: 1° Rudimenta Grammaticæ latinæ et græcæ, et Grammatica triplex, græca, latina, gallica; 2° Scholæ grammaticæ.

II. Quæcumque ad Rhetoricam artem pertinent, nempe 1° Aud. Talæi Rhetorica et Rami Ciceronianus; 2° Scholæ rhetoricæ

III. Dialecticæ præcepta, exercitatio, usus et animadversiones in Aristotelem, seu scholæ dialecticæ: quæ maxima pars est Rami operum: 1° Dialecticæ Partitiones et Institutiones, la Dialectique, Dialecticæ libri duo; tum Prælectiones

in Platonem, Ciceronem, Virgilium; 2° Animadversiones Aristotelicæ, Scholæ dialecticæ; Defensio pro Aristotele adv. Jac. Schecium: quibus adjici potest Arn. Ossati Expositio disputationis de methodo, adv. Jac. Carpentarium.

IV. Opera mathematica : 1° Euclides latinus; Arithmetica, Algebra, Geometria; 2° Procemium mathematicum, Scholæ mathematicæ.

V. Scholæ physicæ.

VI. Scholæ metaphysicæ.

VII. Opera historica, ethica, politica, scilicet: 1° Liber de moribus veterum Gallorum; 2° liber de militia Cæsaris cum vernacula utriusque versione; 3° Aristotelis Politica.

VIII. Commentariorum de religione christiana libri quatuor.

IX. Orationes quædam, quæ in Catalogo hisce numeris notantur : 3, 5, 7, 14, 15, 27, 36, 37, 40, 43, 50, 55; quibus adjungi potest Aud. Talæi Academia.

X. Epistolæ, quotquot supersunt, nempe quæ in Collectaneis leguntur, et quæ in tertia Catalogi serie, num. 7, indicantur.

FINIS.

Parisiis. — Ex typis E. Thunot et Cie, via Racine, 28.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, ipsis kal aug. ann. MDCCCXLVIII,

Facultatis Literarum in Academia Parisiensi decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur,

ROUSSELLE,
Rectoris vices gerens.